247 **BELGIUM.** Libellus Supplex Imperatoriae Majestati Caeterisq; Sacri Imperii Electoribus, Principibus, atq; Ordinibus, nomine Belgarum ex Inferiori Germania, Evangelicae religionis causa per Albani Ducis tyrannidem ejectorum in Comitiis Spirensibus exhibitus. 8vo, 8 leaves. *Apud Joh. Daium: Londini* 1571.—Apologeticon, et vera Rerum in Belgico-germania nuper gestarum Narratio, *etc.* 8vo. [*Without name of place or printer or date, c.* 1571.] 2 works bound together, paper boards, red gold-tooled leather back, parchment covers, from the Heber library. **£3 10 0** 1571

⁂ The first tract is one of the rarest items printed by the famous Elizabethan printer, John Day. No copy in the British Museum, which has a later Antwerp edition of 1577. Sayle *ULC.* 829. The second tract relates to the Spanish Inquisition in the Low Countries.

247 **BELGIUM.** Libellus Supplex Imperatoriae Majestati Caeterisq; Sacri Imperii Electoribus, Principibus, atq; Ordinibus, nomine Belgarum ex Inferiori Germania, Evangelicae religionis causa per Albani Ducis tyrannidem ejectorum in Comitiis Spirensibus exhibitus. 8vo, 8 leaves. *Apud Joh. Daium: Londini* 1571.—Apologeticon, et vera Rerum in Belgico-germania nuper gestarum Narratio, *etc.* 8vo. [*Without name of place or printer or date, c.* 1571.] 2 works bound together, paper boards, red gold-tooled leather back, parchment covers, from the Heber library. **£3 10 0** 1571

⁂ The first tract is one of the rarest items printed by the famous Elizabethan printer, John Day. No copy in the British Museum, which has a later Antwerp edition of 1577. Sayle *ULC.* 829. The second tract relates to the Spanish Inquisition in the Low Countries.

Cette requete presente par les nouveaux sectaires a l'Empereur et aux princes de l'empire, contient un precis des principaux evenemens arrivés aux Pays-bas depuis 1550 jusqu'en 1570, elle est si rare, qu'on ne connoit plus aujourd'hui que ce seul exemplaire

L'edition originale imprimé en allemagne en 1570, contient 59. feuillets

Sancti patris nostri epiphanii, Episcopi Constantiae Cypri, ad physiologum accedit sermo m. Jesu Palaeorum Antiquae Plantiniani 1588 cum fig. singul

~~Netherlands Bibl. 1581.~~

Geringing — Reichstag

1126 a 44

LIBELLVS SVPPLEX IMPERATORIÆ MAIESTATI CÆteriſq; Sacri Imperij Electoribus, Principibus, atq; Ordinibus, nomine Belgarum ex Inferiori Germania, Euangelicæ religionis cauſa per Albani Ducis tyrannidem electorum in comitijs Spirenſibus exhibitus.

¶ *Londini apud Johannem Daium ad exemplar in Germania editum.*

AN. 1571.

QVÆ tempestas Inuictissime Imperator Principesq; Illustrissimi iam propè totos centum annos varias Europæ partes afflixit, Eadem nos etiam hoc tempore per summam tyrannidem, bonis omnibus exutos, patrijs sedibus eiectos, calumnijs aduersariorum oppressos, atq; omni calamitatum genere exercitos, ad vestram Clementiam supplices confugere coegit.

Etenim neminem esse arbitramur qui nesciat, olim quidem Hispaniam, post autem etiã paulatim totius Europæ magnam partem, non modò intestinis dissidijs ac tumultibus arsisse, sed etiam graui persecutionum procella atque tyrannide tantùm nõ oppressam fuisse. Ex quo nimirum homines aliquot otiosi, quiq; vitam vel solitariam, vel ab omni rerumpublicarum gubernatione remotam, vel certè diuini verbi prædicationi, & tranquillis sacrarum literarum stu-

dijs tantummodo addictam, nomine atq; externo gestu profitebantur, cœperunt in aulas Regum ac Principum irrepere, & obtenso suis cupiditatibus religionis velo, ea consilia subministrare, quibus posset, excogitata Inquisitionis in hæreticam, vt vocant, prauitatem noua ratione, grauissimarum controuersiarum ac rerum cognitionem & iudicium, à ciuili Magistratu ad se auertere. Atq; ita paulatim non modò in plebeij cuiusuis bona, fortunas, domicilium, intimos ædium recessus, & verò etiam in vxorẽ ac liberos, & vitam deniq; ipsam inquirendo, dominatum, prout luberet exercere, sed ipsos etiam Magistratus ac Principes imperio suo subijcere. Quibus autem locis animaduertebant vel populi antiqua libertate, vel Rectorum ac Principum moderatione atq; prudentia, ea sua studia retardari, ijs confestim, vel hæreseos vel rebellionis conficta criminatione, Regum

gum atq; Imperatorum animos aduersus populum grauiter exacerbarunt. Eoq; artificio disiidia inteſtina, tumultus populares, & grauia etiam ſæpè bella concitarunt: quibus florẽtiſſimas prouincias, in omnium Regum, Principum ac populorum inuidiam ac ſummum odium vocatas, ad extremam calamitatem redegerunt.

Hoc ſi quæ alia in Europæ regionibus prouincia vnquam ſenſit, noſtra certè patria, inferioris nimirum Germaniæ pars illa, quæ Hiſpaniarũ Regis potentiſſimi paret imperio, hoc quidem tempore vel inprimis cum ſumma ſua clade perpeſſa eſt. Poſtquam enim falſiſſimis Hiſpanienſium Inquiſitorum calumnijs, alijſque prauis artibus apud Carolum quintum fœlicis memoriæ Imperatorem, eiuſq; filium Philippum Hiſpaniarum Regem, atq; inferioris Belgicogermaniæ Dominum, in grauem inuidiam hæreſeos atq; impietatis nomine ad-

ducta, grauissimisq; de religione edictis per calumniam & dolum extortis, grauata, pro summa sua erga dominos fide atque obseruantia, hoc sæuissimum inquisitorum iugum iam plus minus totos quinquaginta annos admirabili patientia pertulisset, & iam tandem rebus in cæteris vicinis prouincijs ad pacem ac tranquillitatem cõpositis, reiq; veritate apud plærosq; detecta, leuationem aliquam ex tanta calamitate speraret: factum est vt aduersarij, qui certè quidem grauissimè ferebant eam, ad parem religionis libertatem, qualis non modò in Germania, sed iam etiam in Gallia alijsq; multis locis vigebat, aspirare, nouo & eo quidem summo conatu eniti cœperunt, vt non modò spem incolarum irritam facerent, sed etiam longè grauiori tyãnide inuecta, quicquid esset reliquum iuris ac libertatis eriperent: atq; ita opulentiores quosque facultatibus, potentiores & si

quos

quos videbant ſuis conatibus poſſe aduerſari, etiam vita ſpoliarent.

Itaq; adiuncto ſibi Pontifice Romano, eiuſq; diplomate impetrato, à Rege per varias calumnias edictum contra omnia prouinciæ priuilegia, leges, inſtituta, atque antiquiſſima iura libertatis, ſumma importunitate extorſerunt: nimirum de Cõcilij Tridentini ſanctionibus ad amuſſim obſeruandis, deq; nouis Epiſcopis introducendis qui Inquiſitionis formã Hiſpanica etiam Inquiſitione (quæ quidem olim aduerſus Iudęos ac Mahumetanos apoſtatas erat inſtituta) longè acerbiorem, per omnem prouinciam exercerent, atq; ita breui tẽpore, florentiſſimam ac liberrimam regionem, in hominum exterorum, & quidem omnibus flagitijs ac ſceleribus coopertorum turpiſſimam ſeruitutem palam adducerent: optimos quoſq; ſubmiſſo quouis vel infami accuſatore, vel nequiſſimo teſte, vin-

culis, equuleo, & verò etiam cruce & flammis pro suo arbitrio possent mulctare, opulentissimos fortunis euertere, Magistratus ipsos suæ iurisdictioni subijcere, & se rerum omnium dominos efficere: inprimis autem eos qui Romani Pontificis imperio parêre detrectarent, suasq; conscientias vni Dei verbo, veteris ac noui testamenti libris comprehenso, vellent esse subiectas, funditus delere, atq; exquisitissimis cruciatibus necatos, radicitus extirpare.

Ea res cum iustissimam præbuisset occasionem Nobilitati quidem, vt apud Gubernatricẽ Parmensem, quæ tum Regis loco erat, supplici libello intercederet, & quę inde calamitas esset indubiè consecutura, declararet: plebi aũt, vt suam religionem, quam hactenus intra priuatos parietes exercuerat, eoq; nomine videbat omnium calumnijs atq; inuidiæ esse obnoxiam, iam publicis cõcionibus æquo boni

boni cuiuſq; iudicio atq; examinationi expoſitam à falſis criminationibus vindicaret : Factum eſt, vt aduerſarij hac arrepta occaſione, varijs excitatis tumultibus, vniuerſi populi nomen de atrociſſimis criminibus hæreſeos, rebellionis, ſeditionis, ac læſæ Maieſtatis diuinæ pariter atq; humanæ, apud Regem inuidioſiſſimi detulerint: eũque, cum planè ſtatuiſſet, ſuſpecta in Belgiũ profectione, ipſe præſens cauſam cognoſcere, & ex æquo & bono rem omnem cõſtituere, partim doloſis artibus, & ad Belgici populi perniciem comparatis ſycophantijs, partim importunis ſtudijs, atq; impudenti quorundam contentione, partim deniq; ſubmiſſis aliunde conſilijs & comminationibus, propè inuitum eò deduxerint, vt aduerſus ſuos grauiter exacerbatus, repentè mutata ſententia, Albanum Ducem & eorum Inquiſitionis fidiſſimum adminiſtrum, & ex veteri etiam ſimultate, Belgij

Principibus ac Reipub. hoſtem infeſtiſſimum, ad cauſam cognoſcendam & conſtituendam Rempub. cum ſumma poteſtate pro ſe legauerit.

Is verò iam ſuis cupiditatibus, ſpecioſum & religionis Pontificiæ reſtituendæ & rebellium caſtigandorum ſtudium prætexens, incredibile dictu eſt, quantam & quàm immanem crudelitatem in omnes Belgicogermaniæ incolas ſine diſcrimine paſſim exercuerit: quot & quàm inuſitatis modis omnium bona expilarit: cunctam prouinciam omnibus ornamentis exſpoliarit, præſidijs nudarit, libertatis omni iure priuauerit, legibus ac priuilegijs exuerit: optimũ quemq; proſcripſerit: innocentiſſimi cuiuſq; ſanguinem profuderit: ſanctiſſimũ quẽque turpiſſima ignominiæ labe affecerit: iura omnia diuina ſimul atque humana violauerit: ſacra omnia profanauerit: coniugiorum iura reſciderit: Baptiſmi ſacramentum polluerit:

cha-

charitatis ac neceſſitudinis omne ius euerterit: nihil deniq; à ſumma atque inaudita crudelitate reliquum ſibi fecerit: Neq; tamen interea deſinit ſuorum facinorum culpam in nos deriuare, & nos grauiſſimorum criminũ, etiam publicatis elogijs atq; excuſis infamibus libellis, apud omnes Principes ac populos palã acceſſere: propterea ſcilicet, quod eius furori ceſſimus, gladioſq; noſtri cruoris ſitientiſſimos ope diuina euaſimus.

Quæ nos omnia, quando quidem Deo Opt. Max. ita decretum eſt, vt nonnullo tempore per impiorum tyrannidem hîc affligamur, in ſilentio & patientia nobis eſſe ferenda putaremus, expectandumq; tempus quod ille ſummus rerũ Arbiter apud ſe præſtituit, vel noſtræ innocentiæ in lucẽ producendæ, vel Regis noſtri oculis atq; auribus ad indignam noſtram calamitatem & iuſtas querelas patefaciendis: Niſi apertè cerneremus eiuſmodi

modi noſtrũ ſilentium, præſertim hoc tam ſacro, tamq; frequenti tuæ Maieſtatis, Inuicte CÆSAR, veſtrarũque Celſitudinum Principes illuſtriſſimi, confeſſu, poſſe nobis noſtræq; innocentiæ non leue præiudicium apud eos quibus minus erit rei veritas cognita, aliquando poſthac adferre. Etenim hac ratione ipſe Dei filius IESVS CHRISTVS, eiuſq; doctrina quã ex eius verbo profitemur, erit atrociſſimis aduerſariorũ calũni, s obnoxia, quaſi qui eam ſequãtur, pro iſthoc tã auguſto Chriſtiani orbis tribunali, tam ſanctis atq; incorruptis iudicibus, tanta diuerſiſſimarũ gentium celebritate theatro refertiſſimo, non modò hæreſeos atq; impietatis peſtiferæ, ſed etiã fœdæ rebellionis, nefariæ ſeditionis ac perturbatæ pacis publicæ, tacita confeſſione rei peracti ſint. Quare, omninò exiſtimauimus non poſſe nos bona conſcientiæ pace diutius vti ſilentio: ſed quando quidem

dem ſcimus hanc ſacri Imperij comitiorum vſitatam rationem eò potiſſimum pertinere, vt quicunq; per vim atq; iniuriam opprimuntur, iſthuc tãquã ad ſummũ iuſtitiæ in orbe Chriſtiano tribunal querelas ſuas referant, duximus noſtri eſſe officij, tuę Maieſt. AVGVSTE CÆSAR, veſtríſque Celſitud. Principes Illuſtriſſ. rerũ noſtrarum ſtatum omnem exponere, huiuſq; noſtræ funeſtiſſimæ calamitatis veros fontes aperire: vt ſi fortè Dei miſericordia, tantis noſtris malis finẽ facere cõſtituerit, poſſimus veſtro beneficio, veſtraq; liberalitate ex hac oppreſſionis mole grauiſſima reſpirare. Sin minus: at certè, cauſa propius cognita, ab iniquiſſimis aduerſariorum criminationib. apud æquos iudices noſtram innocentiam vindicemus. Quo, ſi nihil aliud, hoc certè quidem conſequemur, ne poſthac noſtra religio, ac veritatis Euangelicæ profeſſio apud eos qui aduerſariæ partis accuſationib.

ſationib. antehac occupati, rem ipſam ignorarunt, tam grauium criminum nomine amplius malè audiat: nèue CHRISTVS IESVS Dei filius, cuius nomen profitemur, per noſtrũ latus amplius cõfigatur: ne nobis deniq; tanquã publicæ pacis ac tranquillitatis hoſtibus, aqua & igni, quod vnũ conantur noſtri aduerſarij, apud alios Principes ac populos interdicat. Sed rei totius veritate perſpecta, omniũ malorũ fons atq; origo deriuetur in eos, q ſuis cupiditatibus incenſi, omnia ſurſum deorſũ verſant, ac deinde homines ꝓbos atq; innocentes, quos per vim atq; audaciã fortunis euerſos vita nequeunt ſpoliare, eos apud tuã Ma. CÆSAR, veſtraſq; Celſitudines Illuſtriſſ. Principes teterrimis calumnijs opprimere contẽdunt, vt ita vos in ſuæ crudelitatis ſocietatẽ vocẽt, veſtraq; opera, vel ſitim illam ſuam inſatiabilẽ noſtro ſanguine expleant, vel odiũ quod in nos acerbiſſimum

biſſimum conceperunt ruina noſtri quoquo modo ſaturent.

Quod quidē certè minimè eſſe cōſecuturos, veſtra æquitas, fides, atq; integritas, noſtraq; innocentia nobis pollicetur. Quibus rebus confiſi veſtra genua amplectimur, veſtram fidē ac miſericordiam imploramus, veſtram deniq; religionem, iuſtitiam, ac ſanctitatem obteſtamur. Rogamúſque ſupplices vt integra iudicij ſeueritate, miſeram atq; afflictam noſtram innocentiam, contra ſummam aduerſariorum potentiam atque effrenem audaciam, clementer tueri non dedignemini.

Vt autē intelligatis, quo iure id facere poſſitis, & ſimul ipſa luce clarius perſpiciatis in quibus totius mali cauſa reſideat, rogamus tuam Maieſtatem, inuicte CÆSAR, veſtráſque Celſitudines Principes Illuſtriſſ. vt libellum hunc noſtrum his tabellis. ſupplicibus adiunctum, in quo

cunctis

cunctis hominibus innocentiam nostram, historiæ totius veritate pertexta, testatam facimus, dato ocio, benignè atq; attentè perlegere velitis: eáque patiētia atq; æquitate animi, qua soletis omnium miserorum atq; innocentum querelas accipere, nostrā etiā causam cognoscatis, & nos ex hac tāta calamitate, quoad eius à vobis fieri poterit, sublcuetis: Ita & Deo summo regum Regi ac Iudici vos dignos ministros præbebitis, & nostra studia ad eius gratiam ac misericordiam pro vobis implorandam excitabitis.

APOLOGETICON, ET VERA RERVM IN BELGICO GERMANIA NVPER GESTARVM NARRATIO, ex qua dilucidè perſpicitur, quibus omnis tumultuum & calamitatum origo & cauſa ferri accepta debeat.

ET SIMVL CALVMNIÆ, QVIBus eccleſias Belgicas grauant aduerſarij, perſpicuè diluuntur.

PSAL. XLIII.

Iudica me Deus, & diſcepta litem meam, à gente non manſueta, à viro doloſo & improbo eripe me: Quia tu Deus fortitudinis mea.

AGITVR IAM PROPE centesimus annus, ex quo serenissimi Castiliæ reges Ferdinandus, & Isabella confecto graui illo & diuturno contra Mahumetanos bello, qui paulò minus octingentis annis Hispaniæ regnũ occupatum infestarant, eiectisque ex omni Hispania hostibus ac recuperato Granatæ regno, animum ad religionem constituendã, & Mahumeticæ Iudaicæque impietatis reliquias extirpandas adiecerunt. Eius rei conficiendæ datum est Dominicanæ sectæ monachis negotium, qui Regum animos atq; aures, magna sanctitatis ac sapientiæ opinione varijs artibus parta, penitus occuparant, & simul eis omnium earum rerũ potestas, quæcunq; ad tantam rem viderentur necessariæ, concessa est. Illi rati se nactos pulcherrimam occasionẽ autoritatis suæ dignitatisque amplificandæ, Regibus summa atq; indefessa seueritate ad eam rem opus esse persuaserũt. Et quasi religionis cognitio ad ciuilem Magistratum nequaquã pertineret, sed esset Monachis, qui se tanquam proprio nomine Religiosos appellabant, ac sacerdotibus propria: constituendum esse nouum tribunal Inquisitorum, ad quos non modò eiusmodi causarum cognitio, sed iudicium omne Religionis qualiscunq; tandem ea esset, cũ summa potestate referretur. Boni Principes, qui vnum sibi Christianæ fidei propagandæ

Origo Inquisitionis Hispanicæ, et simul inquisitorũ potentiæ in ipsã Hispania.

ſcopum quacunque ratione propoſuerant, ijs quos exiſtimabant vitæ integritate ac ſanctimonia cæteris omnibus mortalibus præſtare, facilè fidem adhibuerunt, & ſimul ijs ipſis qui tantæ rei erant inuentores, omnem eius inquiſitorij muneris pro ſuo arbitratu poteſtatem dederunt. Ad eam acceſſit etiam pontificis Sixti quarti qui eo tẽpore Romæ præſidebat, comprobatio. Is enim omni conatu ac ſtudio Monachorum quatuor ordines non ita pridem exortos, non tantùm confirmare, ſed etiam augere atque amplificare conabatur. Ad quod ſuum inſtitutum videbat Regum Hiſpanorum ſtudium quàm maximè opportunum eſſe. Itaq; ſua autoritate, quæ quidem ſi vnquam poſt homines natos, illo certè tempore maximè vigebat, ſuóque diplomate nouum hoc tribunal, nouumque inquiſitorum imperium confirmauit, ac ratum habuit. Ita hęc poteſtas, tum regia tum pontificia autoritate ſuffulta, breui mirum in modum coaluit. Et cum nemo homõ ſit ad quem religionis recta conſtitutio non pertineat, facilè ſibi hoc prętextu in omnes hominum ordines ac dignitates cognitionem, ac iudicium vendicarunt. Eáque ratione non multo pòſt cœperunt in omnium bona, fortunas, vitam atq; cõſcientiam apertè dominari: donec ex immoderata poteſtate, ſuperbia atq; auaritia atq; inde odium illis apud omnes tantum natum eſt, vt iam nemini amplius tolerabiles eſſe viderentur. Itaque

que consilio & opera Episcoporum, aliorum qúe Sacerdotum, qui certè magno in Hispania numero erant, magnáque autoritate, & se Monachorum imperio subiectos esse iniquè ferebant, factum est, vt Regia autoritate, inquisitoria potestas à Dominicanis ad Clerum transferretur. Et ex episcoporum cæterorumqúe sacerdotum caterua deligerentur Inquisitionis magistri, qui vterentur quidem illi opera & consilio Dominicanorum, at certè tamen penes se summam Inquisitorij muneris potestaté retinerent. Hi vel quod zelo religionis aliquo flagrarent, vel quod animi impotentiam callidè dissimularent, partim opinione sanctitatis admirabili, partim Principum ac potentum (quibus erant vel amicitia vel necessitudinè coniuncti) gratia, & potentia, partim denique prauis, atq; occultis artibus, breui tempore nouum hoc suum imperium ad id fastigij euexerunt, vt iam non modò in plebem, dominationem prout esset collubitum exercerent, sed omnẽ totius populi atq; ordinum regni libertatem sanctæ Inquisitioni subijcerẽt: priuilegia, atque immunitates labefactarent: Procerum (quos Grandes solẽt appellare, sine quorum autoritate nihil olim in Hispania decernebatur) dignitatem imminuerent: in REGEM deniq; ipsum ac REGII sceptri Maiestatem sibi, Religionis & cultus diuini prætextu, supremum ius vendicarent: nobiles omnes & si qui essent alicuius nominis viri, quos pu-

tabant ſuis conſilijs quoquo modo poſſe officere, de hæreſi delatos, vel crudeliter necarent, vel turpiſſima ignominiæ nota quæ in omni poſteritate hæreret, inuſtos, omnibus porrò ſæculis infames atque inteſtabiles redderent. Hæc etſi non paucis noua atque intolerabilia videbantur, tamen propterea quod & aduerſus infeſtiſſimos nominis Hiſpani & Chriſtianæ religionis hoſtes, Mauros inquam & Mahumetanos Iudæóſque potiſſimum eſſent comparata, & cultus diuini nomine ac ſanctitatis opinione plærorúmque oculos præſtringerent, & denique multis bellis exhauſtos fiſco Regio non mediocriter locupletando (in quem dimidia proſcriptorum bonorum pars referabatur) eſſent accommodata, potentiſſimorum quorúmque ac præſertim Regum ipſorum ſtudijs, authoritate atque imperio, indies magis ac magis confirmabantur: donec Aragonenſes (quæ eſt in Hiſpania, & veteri libertatis iure, & generis nobilitate, & regni amplitudine Prouincia inter cæteras facilè prima) palam reſtiterunt. Et cum ſupplici ac modeſta interceſſione nihil apud Ferdinandum Regem profeciſſent, etiam vi & armis hanc peſtem à ſuis finibus auertere conati ſunt, propterea quod facile animaduerterent, libertatem quam certè ſummam atque incredibilem à maioribus acceptam, hactenus

nus ſemper integram conſeruarant, hac ratione peſſum ire, ſeſe ſuáque omnia indigniſſimæ Sacerdotum tyrannidi ſubiecta fore. Sed nihil tamen profecerunt. Nam poſt varios tumultus, magnam cladem ac profuſionem ſanguinis, huic Inquiſitionis iugo, colla inuiti ac reluctantes ſubijcere, nihilo ſecius quàm cæteri Hiſpani coacti ſunt. Ita vt qua prouincia nulla erat ante hac liberior, eâdem vix alia hodie ſeruilior ſubiectiórque vlla reperiatur. Cuius exempli terrore ac ſimul opinione ſanctitatis quam ex hac re geſta magnam ſibi Inquiſitores compararant, factum eſt vt nullo amplius reluctante Hiſpaniam vniuerſam ſibi ſubiugarint.

Propagatio imperij Inquiſitorũ Hiſpanienſium.

Verum enimuero, vt ſunt hominum cupiditates natura immenſæ atque inſatiabiles, non potuit ſe hæc libido dominandi, licet vaſtiſſimis Hiſpaniæ regni finibus diu continere. Sed ad propagandum imperium eodem ſcilicet illo Religionis Chriſtianæ conſtituendæ plauſibili prætextu, animum adiecerunt, ac verò etiam totius prope orbis terrarum imperium ſibi promiſerunt. Nec enim vlla fere regio eſt, quam breui temporis interuallo, ijſdem illis artibus quibus Hiſpaniam domuerant, ſibi ſubijcere non tentarint. Nam & Italiæ potiſſimam partem, &

multas Mediterranei maris, atque Oceani insulas, Angliam etiam ipsam (licet non multo tempore) huic Inquisitionis capistro colla subijcere coëgerunt. Et ad extremas vsq; Indias, ac vastissimo Oceani alueo remotas terras, non modo peruagati sunt, sed miseros atque agrestes incolas constituendæ Religionis prætextu, omnibus bonis ac facultatibus, ipsis etiam cõiugibus, liberis, ac vita denique spoliarunt, & verò etiam omni supplicíorum genere crudeliter excarnificatos cõtrucidarunt, eóque miseriæ & calamitatis adegerunt, vt eorum non pauci mortem sibi ipsis cõscíscere maluerint, quàm in huiusmodi hominum crudelem dominatum peruenire.

Quid? quod non ita pridé omnia sua consilia, omnésque machinationes adhibuerunt, neque quicquam reliquére intactum, quo Germaniam cunctam eodem iugo possent mancipare. Eóque Carolum quintum fœlicis memoriæ Imperatorem prope inuitum ac diu reluctanté, Pontificũ Romanorũ autoritate & cõminationibus adegerunt, vt optimos quósq; ac illustríssimos Principes haberet pro perduellibus, & tanquã iuratis hostibus funestíssimũ bellum inferret, prætextóque rebellionis velo, ipsos principes Protestantes inter se armaret: liberas ciuitates in fœdíssimam Hispani militis seruitutem redigeret, & amplíssimi ac sacri Imperij Maiestatem hominum vilíssimorũ libidini, & cupiditatibus non ferendis subijceret. Quod nisi

iugum

iugum sæuissimum partim quidem Principũ Germanorum virtus, ac prudentia excussisset, partim autem ipsius Imperatoris, rem ipsam, vti erat iam perspicientis, æquitas, atque indulgentia sustulisset, poterat eodẽ loco iampridem cuncta esse Germania, quo nunc est eius illa portio, è qua nos per summam iniquitatem electi, afflictæ patriæ & non modò grauissima tyrannide, sed etiam indignissimis calumnijs oppressæ, causam dicere cogimur: Deumqúe immortalem & simul omnes homines testati, non aliam esse calamitatis nostræ causam nisi eam ipsam, quę propè abfuit vt vniuersam Germaniam depopularetur: cupiditatem nimirum eorũ qui iniustum suum imperium Religionis cõstituendæ prætextu, quocunq; terrarum per fas & nefas conantur propagare. Eò autem enixius in hanc inferioris Germaniæ partem, quæ Belgium dicitur, illud inuehunt, quod Principum affinitate, ac regis communis necessitudine, & simul antiquo commerciorũ, ac hospitij iure sit illis coniunctior, eóque iãpridem se putant Hispaniæ leges, ac institutа, Hispanos mores, ac Hispanicum Inquisitionis iugum, patrijs legibus abrogatis, ac Germaniæ nominis mentione aboleta, priuilegijs etiam antiquatis, atq; oppressa libertate suo quodam iure posse inuehere.

Artes & cõsilia Inquisitorũ.

Quum autem pridem senserint prouinciam non magnam quidem illam, at certè opibus ac potentia magnopere florentem, nec

ſolum munitiſſimis oppidis & arcibus, ſed etiam optimis legibus ac inſtitutis, pulcherimíſque priuilegijs, prerogatiuis atq; immunitatibus alijſq; iuribus libertatis contra exterorum dominatum ita ſeptam eſſe, vt quãdiu Principem habent fauentem, tandiu certè auitam libertaté haud ægrè tutari poſſint: Varia iam à multis retro annis conſilia non obſcurè agitarũt, quibus incolas in ſuſpicionem atq; inuidiam, & apud Carolum quintum Imper. & apud eius filium Philippum Regem adducerent, & tum hæreſeos, tum rebellionis crimine notatos, in hoſtium ac perduellium numero habendos eſſe perſuaderent: vt ea ratione prouinciam, quã ſibi multis nominibus ducebãt eſſe maximè opportunam, libertatis omni iure ſpoliatam, ſuæ dominationi ſubiungerent. Aliquando prætexebant nimis eſſe varias ac diſtinctas prouincias, & verò etiam pro numero prouinciarum nimis diuerſas leges, conſuetudines atque inſtituta: aliquando ſuis priuilegijs, immunitatibus ac libertatis iure nimiũ ferocire cauſabantur: interdum nimias opes ac potentiam Regi ſuſpectam faciebant: interdum exterarum nationum cõmercia in inuidiam vocabant. Breuiter nihil intactum relinquebant quod ad eius animum exacerbandum videretur poſſe pertinere. In primis autem vrgebant ordinum in Comitijs vſitatam omnibus ſæculis libertatem, Regiam potẽtiam plurimum imminuere: propterea quod

& anti-

& antiquissimo more maiorum ita esset cõparatum, & ipsis etiam Principum stipulationibus ac pactis iureiurando confirmatis sancitum, nihil eos decernere agereue quod vel populi libertati vel legũ antoritati fraudi esse posset, sine voluntate atq; assensione ordinũ totius prouinciæ. Itaq; pluris eos ordinum decreta quàm rescripta Principum facere: Regem non pro Rege, sed pro Duce aliquo vulgari & Comite, aut certè pro iuris, ac legum custode habere, qui non ex imperio sed ex legum præscripto atque ordinum sanctionibus rempublicam administret. Ad hæc non secùs quàm in liberrimis rebusp ublicis magistratus, & verò etiam tribunos plebis cum summa intercedendi potestate ex se creare: exteros à reipublicæ functione: Eccleſiasticos à iurisdictionis potestate, legibus atq; institutis municipalib. arceri: ac proinde vel intimis ac fidissimis Principũ clientibus cunctæ administrationis viam præcludi. Hæc atque alia eiusmodi superioribus temporibus non rarò dedisse occasionem plebi, vt suorum Principum imperium superbè respuerint: ipsisq; etiam Dominis ac Principibus legem tulerint: & verò si qui contra morẽ atq; ordinum voluntatem quicquã tentauissent, eos nonnunquam mulctis, nonnunquã vinculis, ac etiam imperij abrogatione castigauerint. Ea certè Principibus nequaquam esse ferenda dictitabant. Itaq; tum ab Imperatore Carolo, tũ ab eius filio Philippo, maximo

studio

Id teſtatur ipſa Hiſpanorũ hiſtoria, quam ab Alfonſo Vloa editam, Germanica lingua Dillingæ euulgarũt: fatẽtur. n. hoc eorũ fuiſſe inſtitutũ vt vniuerſam prouinciam inſtar Siciliæ ac Neapolis in formam Regni reducerent.

ſtudio diu contenderent, vt vniuerſa ea prouincia in vnum redacta corpus, vní que legũ ac iudiciorum formæ ſubiecta, in regni nomen ac titulum erigeretur: & antiquata magiſtratus popularis ac legum poteſtate, non aliter quàm bello parta Siciliæ ac Neapolis regna, nouis legibus pro arbitrio adminiſtraretur. Quod cùm à ſe fruſtrà laborari animaduerterent, propterea quod acerrimè reclamarent ciuitatum omnium ordines, & ipſe fortaſſe etiam Imperator eorum ſiniſtros conatus ac malam fidem perſentiſceret: ea re in commodiorem opportunitatem reiecta, hoc certè quidẽ importunis ſuis calumnijs abſtulerunt, vt pòſt nulla ratione generatim ex omnibus prouincijs ſolennia Comitia, prout more maiorum erat vſitatum, fieri amplius pateretur, vt etiam Eccleſiaſtici ordinis homines, quíq; non modò iure Diuino, Ciuili, atque Canonico, ſed etiam veteri prouinciæ more, ac multis Ducum Burgundiæ ſanctionibus à iudiciorum, ac reipublicæ functione arcebantur, rerum gubernaculis præficeret.

Occaſio & ratio Inquiſitionis & edictorũ in Belgio decernendorũ.

Et denique vt faciliorem ad illum quem ſibi proponebant dominatum, viam ſternerent, religionis conſtituendæ prætextu arrepto, eam edictorum acerbitatem aduerſus eos qui Euangelicam doctrinam profiterentur, extorſerunt, quam nulla vnquam regio, nulla ciuitas, nullum municipium vidit. Planè enim ei perſuaſerant quemadmodum etiam

am disertis edicti verbis continetur, 1 Luterum cuius doctrinam sequerentur, Pelagianismum profiteri, sanctos omnes Patres ac Ecclesiæ doctores vilipendere, Magistratum omnem abolere: Ciuilem gubernationē ordinémque euertere: Populum ad arma concitare: ad cædes, furta, vastationes, atque incendia instituere, ac denique licentiam cuiq́; quo quisque modo velit, viuendi dare. Ad eam rem præclaram illis operam pręstitit Petrus à Soto Hispanus, qui erat illi à confessionibus, ac inter Inquisitionis Hispanicæ magistros non vltimum locum tenebat. Qua persuasione Caroli Imperatoris animum alioqui natura placidum ac lenem, ad decernenda & 2 nulla adhibita ordinum assensione, promulganda, ac identidem renouanda edicta sæuissima, quæq́; sanguine potius quam atramento viderentur exarata, facilè impulerunt: non quidem quod ea vellet ad vnguem obseruari, sed quod speraret inusitatæ seueritatis terrore, populi animos à studio Religionis, quam penitus impiam existimabat, posse reuocari. Cuius sanè spei, ac voluntatis non obscurum indicium dedit in ea quam post edidit 3 declaratione edictorum, qua statuebatur, quibus in rebus possent Magistratus

1 *Hæc sunt ipsa edicti verba dati Wormaciæ 8. die Maij anno 1521.*

2 *Ordinū assensionē non fuisse adhibitā, patet ex ipsis edictorū singulorū verbis, quibus apertè præscribitur omnib. prouinciarum ordinibus, præfectis ac Magistratib. etiam grauissimis pœnis propositis ea edicta rata habere, atq́; executioni diligenter mandare, & simul declaratur, in pontificis Romani gratiam, ex solo edicentis arbitrio esse facta.*

3 *Ea declaratio facta, signataq́; est anno. 1550. mense Sept.*

tus immoderatũ edictorum seueritatẽ paululũ remittere. Ea tamẽ declaratio arte ac dolo magistrorũ Inquisitionis suppressa est, effectúmq; non modo vt ad edictorum strictam obseruationem, sed etiam ad Inquisitionem Hispanicæ vix absimilem peruenireturr, quò functionis illius, ac muneris quod à Põtificibus pridem impetratrant, administrationem obire possent. Itaq; cùm iam anno 1550, Hispaniæ Rex in Belgio inauguraretur, magnis atque importunis solicitationibus edictum de Inquisitione impetrarunt, qua suis hominibus, tantam in ciues atque incolas totius prouinciæ potestatem arrogarunt, quanta ad opprimendam paulatim veterem libertatem, atq; omnia priuilegia abroganda opus esse arbitrabantur. Sed conatum hunc primum quidem Brabantiæ senatus, atq; ordines solicita ac seria intercessione, deinde verò sereniſſima Hungariæ Regina fœlicis memoriæ Maria, ſumma pietate, singulari fide, atq; incredibili prudentia repressit. Nam & tum quidem ad Carolum Imperatorem qui erat Augustæ in comitijs, profecta est, atque impetrauit vt edicti acerbitas paulum mitigaretur, & Inquisitionis nomen, atq; institutum omitteretur & postea etiam sæpe se Inquisitorum ac Theologorum fraudibus, atque audaciæ fortiter obiecit. Ita vt datis in Hispaniam literis ab illis apud Imperatorem de hæresi fuerit accusata. Semper autem id vnicè laborauit, vt Imperatoris Caroli animum

nimum ac beneuolentiam Belgij populis cõciliaret, omnémque inuidiam qua grauabantur ab aduersarijs, quoad posset, auerteret. Qua sanè lenitate, atque prudentia subditorum animos vicissim erga suum Principem ita arctè deuinxit, vt nullum sibi onus illius causa putarent esse recusandum, vt eius gratiam ac voluntatem etiam libertatis iuri quod eis ex lege & instituto maiorum dabatur, in multis rebus non grauatè anteponerent, vt in omnibus indictionibus, collectis ac tributis imperatis ita se dicto audientes præberent, vt nihil potuerint Principes desiderare, quod non ab eis fuerit summa cum animorum ac voluntatum promtitudine repræsentatum, vsque eò quidem, vt iam toto propè decennio bellum & graue & varium, ac periculosum cum Galliarum Regibus potentissimis gestum alacres sustinuerint, maximámque sumptuum partem, quæ certè quadragies millenorum florenorum millium summam excessisse publicis expensi tabulis probari potest, liberaliter erogarint: neque vnquam vel tenuem rebellionis suspicionem dederint.

Tametsi interea nihilominus illi Inquisitionis architecti, regnãte quidem Carolo, prætextu superiorum edictorum: auspicante verò regnum Philippo obtentu noui mandati quod Regium nomen præ se ferret, obliquis artibus, & falsa persuasione impetrati, in cõpluribus Belgij partibus, & maximè in Flandria

Anno 1555. 1. Decemb.

Flandria occidua, Hannonia, Arteſia, agro Tornacenſi, Inſulenſi, ac nonnullis Hollandiæ locis, per vim & tyrannidem apertè graſſarentur, plebémque varijs ac miſeris modis degluberent, atque excarnificarent. A' quo ne poſt quidem cum detecta fraude, mandatum illud dolo extortum nouo diplomate Regio reuocatum eſſet, abſtinuerunt. Habebant enim ſuos in aula, qui aſſidui apud Regem eorũ crudelitati & auaritiæ Religionis velum obtenderent. Tandem autem cum bello Gallico iam confecto ac Rege in Hiſpaniam profectionem parante, eius ſubditi propter ſingularem obſeruantiam, omniúmque officiorum admirabilem promtitudinẽ, ac fidelitatem præſtitam, nonnullam leuationem tum ab alijs oneribus, tum certè vel maximè à non ferendo illo Inquiſitionis iugo, ſuo quodam iure viderentur poſſe ſperare tantum certè abfuit vt de ſuperiore erga eos acerbitate quicquam remiſſum fuerit, vt contrà etiam quaſi pace, rebúſque non alium in finem conſtitutis, quàm ad expilandas miſerorum hominum fortunas, excruciandáſque conſcientias, multo etiam quàm antè ſæuitum ſit acrius. Tum enim vel maximé vſitatis illis ſuis technis ac Religionis conſtituendæ ſimulata ſpecie apud Regem, Inquiſitores noua diplomata ad omnes ciuitatum præfectos impetrarunt, quibus iam apertè ſuperiorum edictorum acerbitas non modò confirmaretur, verùm etiam contra anti-

Anno. 1556. 17. Ianua.

Patet ex literis ac diplomatib. ad ciuitates miſſis anno. 1559. menſe. Aug.

qua

qua libertatis iura ac priuilegia multis rebus imperatis, augeretur. Illis armati Inquisitores post Regis discessum miseram & iam propè exhaustam plebem reliquis fortunis omnibus expoliarunt, ciuitates ac municipia priuilegijs fraudarunt: ciues optimos bonis exutos, carcere, vinculis, equuleo, ferro, cruce, flamma, defossionibus, mersionibus, indicta causa, & non ratò etiam intempesta nocte contra vsitatam iudiciorum formam crudeliter necarunt.

Et vt nihil sibi deesset, quo minus apertè possent contra ius libertatis ac prouinciæ totius priuilegia, suam illam sanctam Inquisitionem apertè inuehere, & simul exteris hominibus atq; adeo Sacerdotibus atq; Ecclesiasticis contra omnes superiorum Principum constitutiones atq; edicta, & iurata à Rege pacta summum imperium tribuere, sibi non modò iuris dicendi potestatem, sed etiam in omnium bona ac fortunas atq; adeo in coniuges & liberos, in vitam denique ipsam ius vendicare, Magistratuum omnem potestatem subijcere, eamq; deinde quibus vellent, quasi sub hasta palam vendere: nouo astu veterem Inquisitionis telam iam pridem animo contextam, necdum tamen absolutam, orditi sunt. Etenim 1 submotis à Rege proceribus & consiliarijs, nouorum episcoporum, qui fidei Inquisitores agerent, institutione, ad religionis Catholicæ conseruationem omnino opus esse persuaserunt. Datum

Nouorum Episcoporũ institutio.

1 *Paulo ante discessũ regis. Autorib. Granuellano, & Viglio, ac praterea tribus aut quatuor alijs conscijs.*

1 *Vt Episcopi Leodienſis, Monaſterienſis, Cameracenſis, & Traiectēſis.*

2 *Vt Granuellanum, Viglium, Cancellarium Nigri.*

3 *Hac publico totius prouincia teſtimonio, publicisq; episcoporū tum habitis concionibus, tū rebus geſtis probari poſſunt.*

4. *Patet ex decreto Cardinaliū Romæ ea de re iuſſu Pōtificū facto.*

eſt itaque negotiū Sonnio Louanienſi Theologo. Is Romam profectus magna ſedulitate rem breui confecit ex ſententia: Prouincias prout habebat à Granuellano in mandatis repartitus eſt, in quo 1 ne ſacri quidem Imperij Principū ius ac iuriſdictionem intactā reliquit, ne dum vt cæterorum præſulum ac Principum rationem ſibi habendam putaret. Epiſcopos nominauit nōnullos homines per omnem vitam 2 in rerum publicarum adminiſtratione verſatos, nonnullos 3 tum inſigni inſcitia tum vitæ impuritate, ac flagitijs cum primis nobiles. Granuellano, Mechlinienſem archiepiſcopatū vna cum opulentiſſima totius Belgij Abbatia Afflegemenſi, id eſt, ſummum rerum imperiū: Viglio, Gandauenſem: ſibi Buſcoducenſem epiſcopatum adiuncto opulentiſſimis abbatijs, quæ eſſent publicæ ſeruitutis & calamitatis autoramenta, decreuit. Cęteris prout ferebat eorū inſtitutum repartitus eſt: ſingulis 4 collationem nouā prębendarum in eccleſia ſua cathedrali impetrauit, vt quibus illæ conſignatæ eſſent, Epiſcopo ad Inquiſitionis munus in ſua diœceſi pręſtò eſſe cogerentur, & verò etiam duo ex illis Inquiſitorum munus ac functionem gererent: cæteri bonorum proſcriptorum ſectores eſſent, ijſq; cogerentur Magiſtratus omnē operam, ac manū auxiliarem prębere. Ad eos epiſcopatus poſſent quis exteri adhiberi, quo ſcilicet ptextu, Hiſpanis ipſis huius Inquiſitionis magiſtris ac dictatorib. cūcta puincia nullo

nullo negotio & breui tempore ſubijceretur.

Hoc epiſcoporũ nouum inſtitutum contra omnem populi libertatẽ 1 contra ciuitatũ iura, prouincię iurata à Rege priuilegia, pactáſque ſtipulationes, contra omnes maiorũ ritus & conſuetudines, legũ ſanctiones, veterum abbatiarum fundationes epiſcopatuum iuriſdictiones, municipiorum immunitates, Granuellanus homo exterus, nouus atq; obſcuro genere natus, cũ ſuis Inquiſitionis Hiſpanicæ mãcipijs, Belgij prouincijs per vim obtrudit ciuitates ac Magiſtratus varijs tum pollicitationibus, tum comminationibus in ſuam ſententiam trahere conatus: nonnullis etiam inuitis, epiſcopos curat dari: cæteræ ciuitates magno numero apertè reſiſtũt, eám que rerum innouationem tam apertè contra omnia vetuſtatis iura, ac priuilegia pugnantem minimè ferendam cenſent. Pleræque etiam abbatię, ac præſertim in Brabãtia, propterea quod abbatibus demortuis nemo ſufficeretur, intercedunt, & grauiter apud alios præſules cæteróſque Brabantiæ ordines, de tã inſigni iniuria conqueruntur. Et cum id fruſtra fieret, propterea quod magna vi obniteretur Granuellani potentia, adiunctis ipſis ordinibus libellum ſupplicem de huius inſtituti abrogatione Gubernatrici exhibẽt, verũ ea

1 Omnia. n. Brabantiæ ac cæterarũ prouinciarũ iura & priuilegia, quoſuis eccleſiaſticos ab omni iudiciorum functione, ac iuriſdictionis poteſtate excludunt, omnes etiam exteros à magiſtratibus capeßendis omniq; iuriſdictione arcent. epiſcopatuum atq; abbatiarum diuiſiones, ac iura illibata fore ſanciunt. Iuris dicendi conſuetam formam in ſempiternum ratam faciunt. Principib. quicquam in his reb. immutandi niſi aſſentientibus ordinib. poteſtatem adimunt.

ea negat rem in sua esse potestate, & ad Regem reijcit. Itaque mox legatos in Hispaniam ad Regem mittunt, ac supplices rogant, vt ne contra vetera priuilegia, ac ius à maioribus traditum, eorum cõditionem innouet: sed aperta 1 subscriptione repulsam patiuntur: Paulò post Brabantiæ ordines apud Gubernatricem denuò vrgent, in iudicio audiri & ius sibi reddi obnixè postulãt: sed frustra. 2 Illa enim respõdet ad se minimè pertinere. Antuerpianus magistratus 3 varijs libellis ac postulationibus eiusmòdi innouationem abrogandam contendit: Episcopos apertè recusat, & verò etiam 4 legatos in Hispaniam ad Regem mittit. Ii post longam solicitationem tandem à Rege 5 vindicias ad libertatem à nouo Episcoporum iugo impetrarunt.

1 1562. 27. *Februa.*
2 1562. 5. *Maij.*
3 *Libello exhibito & subscripsione facta* 23. *Ianu.* 1562. *itẽ* 18. *Mar.* 1562. *item* 23. *Martij* 1562.
4 1562. *mense Iunio vj & varios libellos exhibuerũt.*
5 20. *Decem.* 1562. & 3. *Aug.* 1563.

Interea verò temporis nunquam desijt Granuellanus obliquis, nec tamen obscuris, artibus cnnctam reipublicæ administrationem ad se trahere: Gubernatricem Parmensem, vt pote rerum Belgicarum nõ satis gnaram, ab administratione rerũ obliquè 6 submouere: Magistratus 7 in singulis ciuitatib. pro suo arbitrio instituere: summum 8 senatum à Rege non ita pridem institutum, qui Consilium aulicũ dicebatur, cõstabátque ex prima-

6 Patet ex ipsius Gubernatricis testimonio in Procerum senatu reddito. 7 Publico exemplo testatum est. 8 Patet ex procerum datis ad Regem querimonijs.

primarijs prouinciæ rectoribus (quem falsis persuasionibus paulò ante apud Regem nõ nihil labefactarat, & senatui Hispanico seu viatorio subieceret) iam apertè dissoluere ac disturbare: Eius omnia decreta rescindere: & vnus pro arbitrio, quęcunque videbantur statuere: Hispanicam rationem officiorum, beneficiorúmque tum ciuilium, tum ecclesiasticorum repartiendorum per nouam indultorum (vt vacant) formam inuehere: Eáque palam ad suam libidinem abuti: Indultorum potestatem sibi vendicare: Viglio tamen nõ nullam partem concedere: Hac ratione vacantium munerum ac beneficiorum erogationem interdum in lõgum tempus trahere, Interdum primo quoque die quasi sub hasta & auctione, ac nonnunquam etiam iteratò vendere: mercedem vna cum suis Proxenetis ac Sectoribus palam repartiri. Sese pro archiepiscopo Mechlinensi ac Metropolitano non modò totius Brabantiæ, verum etiam vniuersæ prouinciæ Belgicæ gerere: & accepto à pontifice galero cardinalitio, Principes omnes præ se spernere: Ciuitatibus acerbè minari, siquæ Episcopis autoramentum inire recusarent: Palam iactare, Regem nisi copijs Hispanicis ac vi externa non posse dignitatem atque imperiũ in Belgio tueri: Omninò necesse esse, eum à poncifice iurisiurandi sacramento, quo se ad priuilegia subditorum suorum, stipulatione facta obstrinxerit, liberari, atque ita ditionem illam suam hæreditariam

Granuellani studia.

Nemo est in Belgio qui hæc non viderit.

ditariam in prouinciam redigere, & quasi manu ac bello partam, ac non auito patrimonio ad se deuolutam, ex libera seruam mancipémq; efficere, ac demum nouas leges, ac nouam iuris formam tanquam bello victis imponere. Ad eam rem inprimis necesse esse quatuor aut quinque primarijs hominibus gladio ceruicem feriri, in quorum nempe autoritate ac vigilantia, putabat populi salutem ac libertatis omnem spem conquiescere. In summa, ipse se iam apertè spretis omnibus rectoribus ac principibus & verò etiam spreta Parmensi Gubernatrice, pro rege ac pontifice gerere, & ad inducendos in episcopatuum possessionem, ac Inquisitorij muneris functionem, suos clientes, vim apertam moliri.

Hac eius vox à multis audita est & ad aceres per lata, & etiam legati regij literis cõfirmata.

Procerum intercessio.

Huic tantæ & tam manifestæ audaciæ putarunt certè prouinciæ Proceres omnino esse intercedendum, propterea quod facilè perspicerét, nisi aliqua ratione coërceretur, haud posse vel patientissimam ac Regis amantissimam plebem in officio diutius retineri. Neque quicquam tamen vel vi vel mala arte tẽtarunt: tantum supplici deprecatione apud regem ipsum interceserunt, eiúsque Maiestati planum fecerunt, in tanta iudiciorum acerbitate, in tanta bonorum ciuium oppressione, rerúmque omnium corruptela, vllam spé vix amplius superesse, vt in veteri officio, atque obedientia, populus retineatur: sed procul dubio cladem aliquam, ac perniciem totius

tius prouinciæ, nisi maturè prouideatur, certam instare . Ad eam rem delegatus est Baro à Montigni, ex ordine aurei velleris. Sed re infecta paulo post redijt, propterea quod in Hispania non minus ex Inquisitorum autoritate, quàm in Belgio ex Cardinalis voluntate omnia regerentur. 1562. mense Augusto.

Interea autem temporis dum libertas Religionis in Gallia constituitur, publicáque fide promulgatur, finitimæ Gallis vrbes Belgij, eam ipsam, Euangelicam religionem, quam prope totos quadraginta annos intra priuatos parietes retinuerant, iam palam atque apertè publicis concionibus profiteri incipiunt, partim quod viderét non posse se aliter à calúnijs quæ priuatis illis ac clãdestinis conuétibus vulgò impingebãtur liberari, partim quod cernerent populi multitudinem, quæ illam religionem amplexa esset, haud amplius posse priuatis tectis occultari, ac propterea necesse esse, vel vrbes nudari ciuibus, eósque apud Gallos veteres hostes confugere, vel omnino plebis studio, in cæteris omnibus rebus álioqui obsequentissimæ, hac certè in parte nonnihil obsequi. Mox tamen per summam Inquisitionis ac suppliciorum acerbitatem paululum repressi sunt, nec tamen penitus oppressi. Quò autem apertiùs suum studium declarabant, eò vehementius Granuellanus suú illũ nouũ episcoporũ fœtũ, enitebatur, & verò Antuerpianos regis beneficio, quo libertatem ac vindicias ab ea

seruitute obtinuerant, conabatur etiam contra Procerum sententiam priuare. Ita vt res ad grauem aliquam seditionem posse spectare videretur. Quamobrem denuò Legatus ad Regem mittitur ex Gubernatricis & Procerum cõsilio Armenterus Hispanus, qui planum faciat diutius neque posse populum in officio continere, neque velle Proceres in Reipublicę administratione locum posthac tueri, nisi Rex illam Cardinalis effrenem audaciam cohibeat: eius inusitatam crudelitatem, ac nouitatis institutum reprimat: suam deniq; liberalitatem ac beneficium Antuerpianis concessum re ipsa confirmet.

Granuellani discessus. *Anno.1564.*

Quod certè ita Regi probatum fuit, vt se aduersus Granuellanum grauiter esse cõmotum declararet, eúmque confestim omni functione priuatum reuocaret ex Belgio. Ex cuius profectione visa est inferioris Germaniæ cuncta prouincia quasi afflata amœniori aura nonnihil respirare: donec iterum Prę-sules illi Hispanici, Regi aurem vellicant, cogúntque pro suo arbitrio iterum Inquisitionis iugum Belgicarum prouinciarum rectoribus imperare: Episcopos iterum decernere Edictorum acerbitatem priſtinam, ac præterea consilij Tridentini obseruationem iterum vrgere: Ad eam rem eorum administri Cardinalitij quos in Belgio sui studiosissimos cum summa potestate reliquerat Cranuellanus, omnem operam nauant: ac simul pro ea Reipub. constitutione quam abiens

relique-

reliquerat, facilè rerum omnium potestatem & cunctam Reipub. administrationem ad se trahunt: Tres consiliariorum curias pro suo arbitrio regunt: Proceres omni autoritate spoliant: Denique pro sua libidine omnia nihilò secius quam præsente etiam & regente Granuellano constituunt: Inquisitionis atq; Episcoporum negotium nihilominus quam ante vrgent. In eos qui Euangelicam religionem profiterentur, omne genus crudelitatis exercent: eósque cruce, ferro, flamma nituntur extirpare. Ita vt Antuerpiæ quæ est sacri Imperij Marchionatus, præter alios infinitos quos partim interdiu, partim noctu trucidarût, eodem illo tempore quempiam medio foro ad palum reuinctum, & iam submissa lenta flamma semiustulatum (propterea quod animaduertebant & immanem supplicij atrocitatem, & viri omnibus notissimi, pbitatem ad misericordiam populum cõmouisse) etiam pugione in pectus defosso necarint. Aliúmq;, quem cum eo simul præhenderant, cùm ab Illustriss. Principe Electore Palatino, seriò atque obnixissimè reposceretur (quod esset ei iam pridem addictus, & scholæ moderatorem Heidelbergę ageret) longo ac tetro carceris squalore & simul grauissimo morbo propè confectum, vix tandem inuiti dimiserint. Nam in cæteris ciuitatibus, in quibus sibi vel plus iuris esse, vel minus periculi arbitrabantur, quæ quantáque commiserint, quid attinet percensere? Cùm Camera-

ci, quæ antiquissimo atq; indubitato iure eiuitas est Imperij, eiúsq; legibus & sanctionibus sine controuersia paret, probum atq; honestum ciuem, propterea quod magistratui, nomine mille, ad minimum, ciuium (à quibus sortitò hoc ei muneris erat impositũ) libellũ supplicem obtulerat, cum postulatione vt liberè ac bona cum pace magistratus, confessionem Augustanam, quam se sequi profitebantur, possent retinere, mox vix interiecto quatuor horarum interuallo, frustra ad Imperij Cameram prouocantem, capite truncarint: aliáq; eiusmodi infinita, contra omnem iuris ordinem atq; æquitatem palam commiserit. Ex quibus sani omnes grauem aliquam populi seditionem, atq; extremam totius prouinciæ cladem, nisi maturè prouideretur, orituram summopere metuebant. Ita
Anno.1565. vt & Gubernatricis & Procerum nomine tandem Egmondanus ad Regem missus fuerit cum mandatis, qui impendentem Reipub. extremam calamitatem, nisi paucorum hominum audaciæ obuiam iretur, edictorum acerbitas paulam leniretur, tolleretúrque Inquisitio, renunciaret. Ei Rex benignè respondet: omnia Belgicæ prouinciæ causa pollicetur: daturúmq; operam promittit, vt breui legitimè, atq; ex sententia, omnia cõstituantur: simúlq; dat negotiũ, vt ipsi inter se in Belgio prouideãt, & formulã aliquã præscribãt, qua possit salua religione Catholica, tantis incõmodis ac periculis iri obuiã. Quod præscripserint

ſerint,id ſe ſequuturũ pollicetur. Ad quã rem reuerſo in Belgiũ Egmõdano, conuẽtus inſtitutus eſt triũ epiſcoporum, triũ theologorũ, triũ iuris canonici, ac totidẽ iuris ciuilis peritorũ, quib. formulæ concipiendæ negotium datum eſt. Paulò tamẽ poſt cũ indies nõ modo Inquiſitorũ ac præſulũ Hiſpaniẽſium importunitate, & Granuellani literis, verũ etiam comminatione pontificij legatis incitaretur, propoſita non modo excõmunicatione, verum etiam æterna damnatione, niſi quauis ratione, vel cum manifeſta totius Belgij interneccione, Inquiſitionem introduceret, & vel minutiſſimas nouæ religionis reliquias extirparet: ſtatim quaſi mutata voluntate, formulam illam moderationis in Belgio conceptam (propterea quod, etſi grauiſſima quæque in Euangelicos ſtatueret, & à ſuperiori edictorum atque Inquiſitionis acerbitate quam proximè abeſſet, tamen in paucis quibuſdam lenior videbatur) prorſus repudiat: Datiſque literis ad extremum mandat, vt omnino Inquiſitio per totum Belgium decernatur: Inquiſitoribus in ſingulis prouincijs ex ſupremo ſenatu adiungantur conſiliarij, quorum ſedulitate & induſtria in exequẽdo ſuo munere adiuuentur: Edicta priſtina ad vnguem obſeruentur: Epiſcopi in omnibciuitatibus inaugurentur: concilij Tridentini decreta paſſim edicantur: nihil deniq; ad eos omnes qui religionem Euangelicam profiteantur, eradicandos prætermittatur.

Regis decretum ex quo tumultus Belgici emanarũt. *Anno.1565. menſe Decemb.*

Et

Et simul grauiter Iudices ac Præfectos prouinciarum incusat, quod edicta patris ac sua non fuerint seuerius exequuti, eorúmque negligentiæ ac remissioni omniú hæreseón causam attribuit. His literis contra omnium expectationem acceptis, & ad singulos prouinciarum præfectos missis, euulgatáque Regis suprema voluntate, magna omnes cepit mœstitia, magna animorum perturbatio, magna denique trepidatio. Ipsi Brabantiæ ordines obtulere libellum Gubernatrici, quo declarabant omninò id in ea prouincia fieri neque posse neque debere. Etsi nullum responsum, nisi valde ambiguum, & quidem longo interiecto interuallo, abstulerunt. Idem factum est à Flandris, Namurcénsibus, Geldris cæterísque finitimis populis, & quidem etiam ab ipsis Ecclesiasticis atque Abbatibus. Breuiter ea erat publica omnium consternatio, vt sine discrimine omnes omnium ordinum homines sibi vehementer meuerent. Videbant enim sibi nihil posthac spei in sua innocentia residere: neminem fore ab improborum hominum audacia & calumnijs liberum: propterea quod hoc modo cuiuis potestas dabatur in optimi cuiúsque ædes, cubile atque arculas, veritos libellos (quorum erat multitudo innumerabilis) conijcere, atq; ita de hæresi suspectos reddere. Videbant etiam alioqui neminem ab edictorum acerbitate immunem esse posse, quod ea non ipsos modo sontes, sed sontium omnium amicos

vicinos,

vicinos, propinquos ac neceſſarios, niſi ſe vellent ſuorum neceſſariorum proditores accuſatoréſque præbere, grauiſſimis mortis pœnis inuoluerent. Videbant denique vel ipſis reſipiſcentibus, atque ab incepto reſilientibus omnem veniæ ſpem præciſam eſſe, eós que pro magno beneficio non modo ignominiam, ac lætalem conſcientiæ plagam, ſed etiam capitis ſupplicium reportare. Quod ſanè nec ipſa Hiſpanicæ Inquiſitionis acerbitas vnquam tulit. Deniq; ita ſecum reputabant, ſi qui, quo tempore nulla gratia, nullâque potentia munus ſuum Inquiſitorium ægrè exequi potuerant, nihil tamen ad ſummam crudelitatem atque auaritiam reliqui ſibi fecerant, iam Regis aperta atque indeflexa voluntate, edictorum publicorum autoritate, conſiliariorum ope atq; induſtria, epiſcoporum noua acceſſione, conſilij Tridentini ſplendido nomine, Magiſtratuum potentia, lictorum ac militũ vi & armis in obeunda ſua functione poſthac muniantur, nemini profectò homini libero fore tolerabiles. Itaque omnes in extremo metu erant. Neque quiſquam niſi fortè ex ipſo ſectorum aut prędonum numero, tantam calamitatem putabat ſe à ſuis fortunis, coniugibus, liberis, familia, ab ipſo denique ſuo capite poſſe auertere. Et ſiqui eſſent, qui ſibi vel propter gratiam, vel propter potentiam ab hac parte nihil metuerent (qui erant certè perpauci) ij tamen ipſi facilè videbant, eiuſmodi acerbitatem

tem fine ſeditione, ac tumultu populari minimè poſſe conſiſtere. Ex quo profectò nihilo leuius ſibi ſuiſq; fortunis, quàm cæteri damnum metuebant. In hac tanta omnium conſternatione ac publica totius prouinciæ mœſtitia, cum ex opulentioribus mercatores cõplurimi, qui ſuam maximè rem agi videbãt, ſuóſq; iugulos vel potius arculas, ac ſcrinia periugulos peti, diſceſſionem pararent: factũ eſt, vt nonnulli ex nobilitate tum publico omnium, tum ſuo etiam priuato periculo cõmoti, præſertim quod & ad eos querelæ vulgi maximè referrentur, & quodcunq; ex ſeditione periculum ortum eſſet, id ad eos propter domicilia quæ plærisq; in agris habebant prędæ omnium ac latrociniis expoſita, maximè pertineret: putarunt coniunctis animis ipſam Gubernatricẽ coram eſſe adeundam, planúmq; faciendum, quanta clades ac pernicies Regi, regijs ſubiectis, ciuitatibus, populis, ac toti prouinciæ inſtaret, niſi huic regio edicto maturè intercederetur. Itaq; cũ inter ſe ſocietatis ad hanc rẽ fœdus inijſſent, promiſiſſéntq; ſe omnem daturos operam vt ſeruata quam Regi debebant fide, & Inquiſitio inſtituta tolleretur, & edictorum leniretur acerbitas, conuenerunt Bruxellam nonis Aprilis, propè trecenti nobiles, ijque libellum ſupplicem duce Brederodio, Gubernatrici exhibuerunt: quo certè nullam vel ſibi vel populo libertatem poſtularunt, nullam religionis innouationem popoſcerunt, nihil deniq;

Anno. 1566. Nobilium cõuentus & libellus ſupplex.

niq; regiæ Maleſtati ex ſua autoritate præſcri-
ſerunt. Tantum breuiter cõmemoratis gra-
uiſſimis quæ pro foribus inſtabant incom-
modis, atq; periculis, ſupplices rogarunt vt
Inquiſitorum munus quod eſſet manifeſtè
contra Regis dignitatem ac patriæ ſalutem,
abrogaretur: Edictáque alia de religione ex
Regis & ordinum totius prouinciæ arbitra-
tu decernerentur, quibus eſſet omnibus Bel-
gij incolis quacunque eſſent conditione, poſt
hac viuendum. Interea tamdiu ab edictorum
executione ſuperſederetur, donec ordines re
gionis pro more maiorum ac omnium bene
conſtitutorum populorum conſuetudine, ad
eam rem ex Regis ſententia decernendam
conuenirent, ſimul cum aperta proteſtatio-
ne, ſi quid ex eorum poſtulationis neglectu
reſpub. detrimenti caperet, ſeſe nullo iure e-
ius nomine poſſe incuſari, vt qui hoc ſuo in-
dicio eſſent officio abundè functi. Hanc no-
bilitatis petitionem ita æquam & iuſtam
cenſuére, non modo proceres omnes, ſed
ipſa Gubernatrix, ſenatus omnis, atque om-
nis denique populus, vt frequentibus omni-
um principum ac conſiliariorum ſententijs,
Gubernatrix polliceretur ſeſe quod pete-
rent quoad in ſua eſſet poteſtate facturam,
miſſurámque ad Regem legatos in Hiſpa-
niam, qui totam rem proponerent, datu-
rámq; operam vt poſtulata conſequeren-
tur. Simulq; ad eam rem legati decreti ſunt
Baro Montigniacus, & Marchio Bergenſis,

Interea

Interea fore vacationem ab edictorum acerbitate atque Inquisitionis carnificina sanctè, & quidem promulgatis ad eam rem rescriptis, pollicebatur. Ita vt repentè pro omnium summa mœstitia, incredibilis coorta sit alacritas: omnésque bene sperare cœperint, & verò non solum ij qui patria excedere cogitarant, eam cogitationem abiecerint, sed non pauci qui pridem ante excesserant, de reuersione cogitarint. His rebus grauiter commoti Cardinalitij, atque Inquisitionis Hispanicæ administri, cæteráque episcoporum ac sectorum turba qui iam optimi cuiusque atq; opulentissimi bona sanguinémque spe certa deuorarant, varia cœperunt agitare consilia, quibus tantam prædam, & tam opima spolia, è faucibus erepta possent recuperare. Nobilium itaq; factum grauibus calumnijs apud Gubernatricem accusant, rem ad manifestam seditionem spectare contendunt, Nihil aliud agere eos, quàm vt tumultu populari concitato in fortunas opulentiorum inuadant, & alienorum bonorum præda per dolum conquisita, sua nomina, nouis confectis tabulis dissoluant: Immo verò & sacrificorum omnium cædes, templorúmque & vrbium vastationes moliri: aliáque multa eiusmodi comminiscuntur, quæ tanto artificio non pessimæ mulieris animo infigunt, vt relicta Bruxella, antiquissima Ducum Brabantiæ sede, non semel statuerit, in vrbem aliquam munitam cõfugere. Quod certè quidem

dem perfeciſſet, niſi procerum perſuaſione, quibus erant propius cognitæ, totius regionis res, ac rationes, confirmata, animum reſumpſiſſet.

Cum autem viderent eiuſmodi varias atque impudentes calumnias reipſa, & nobilium modeſtia protinus euaneſcere, grauiter apud Parmenſem exagitant, partim quidem tam celebrem, ac frequentem nobilium conuentum, partim autem fœderis initi ſocietatem, neque hæc ipſa tamen ſatis magnum ad iuſtam criminationem pondus obtinere vident. Itaque in hoc vno inſiſtunt, ac vnum hoc accuſationis caput ſtatuunt: quod petierint iniri ordinũ libera ac legitima comitia: eam vocem eſſe ſeditioſorum animorũ certiſſimum inditiũ: nihil enim tam imminuere Regis imperium ac Maieſtatem, quàm liberum ordinum conuentum, quo vel potentiſſimi quíque Regis ac Principes ſoleant in ordinem cogi. Nec verò cuiquam obſcurum erat, Granuellanum & Viglium crebris ſermonibus vſurpare ſolitos, vnum illud inprimis Regi cauendum, ne ordines Belgicæ prouinciæ, pro more maiorum conuocarentur. Hãc fuiſſe Carolo quinto contra ſuperiorũ principum ac ducum morem, vnicam imperandi rationem, qua pro arbitrio, quod placeret decerneret, quod videlicet comitiorum ſolennium legitimam coitionem ac libertatem prorſus præcidiſſet, atq; ex ſuo ſimul & eorũ quos ipſe ſibi delegiſſet arbitrio omnia ſtatueret: Calumniæ aduerſariorum.

tueret : eandem etiam Regi viam esse ineundam, si sartam tectam dignitatem suam tueri velit, neque quicquam tantopere debere odisse, atque comitiorum liberorũ mentionem. Cùm autem se animaduerterent, ne hac quidem via multum proficere, propterea quod vno ore omnes comitia desiderarent, & quiuis non planè væcors facilè cerneret, nec vlla re alia æquè stabiliri Principum dignitatem, atque comitijs publicis & liberis: nec illos tantopere metuere imminutioni Regiæ dignitatis, ac sibi suisque rebus (fuisset enim & administrationis tanto tempore gestæ & aduersæ palam pecuniæ publicæ in comitijs reddenda ratio, & repetundarum ac peculatus dicenda causa) aliam sibi viam per cuniculos ineundam putarunt, qua & sanctos nobilium atque optimorum quorumque ciuium conatus eluderent, & comitiorum solennium coitionem auerterent. Sunt nimirum Gubernatrici authores, vt singularum prouinciarum ordines sigillatim conuocet. In eum cœtum nisi delectum vocatúmque, neminem admittat. Itaque ijs authoribus comitia tumultuaria prouinciatim instituuntur. Ad ea nonnulli delecti appellantur: quorum autem vel maximè intererat adesse, quique antiquo iure & perpetua consuetudine adesse semper consueuerant, prætermittuntur: nonnulli etiam palam egredi iubentur: nonnullis silentium imponitur:

Anno. 1566. mẽse Maio.

spatium

ſpatium deliberandi cum cæteris collegis, & prouinciæ ordinibus ac magiſtratibus plebis, quemadmodum ferebat omnium comitiorum vetuſtiſſima certiſſimáque conſuetudo, omnibus indiſcriminatim adimitur. Præcipuæ etiam Belgij prouinciæ quarúmque res maximè agebatur, Brabantia nimirum, Hollandia, Phriſia, Gheldria, Zelandia, ditionéſque Limburgenſis & Luxemburgenſis negliguntur, neque omnino conueniendi poteſtas datur. Itaque ad nonnullos paucos, quorum plęróſque conſtabat ex compoſito ſubornatos eſſe, refertur de approbanda moderationis edictorum concepta formula, quæ ad ſpeciem quidem videretur eſſe paulò lenior, ad ſenſum autem & veritatem, erat ſuperioribus edictis etiam acerbior, hoc vno tamen lenior quod pro flammis, crucem, laqueos, ac patibula, pro Inquiſitione viſitationem ſubſtitueret: profugis verbo quidem bona non eriperet, ea tamen cautione circumſepiret, vt nemo non ſtultiſſimus facilè poſſet animaduertere nihil aliud quæri, niſi occultiorem ad priſtinas proſcriptiones, atq; vſitatam crudelitatem cuniculum. Præſertim cum iam manifeſtè ad prouinciarum Præfectos ac Prætores ſcriberet Gubernatrix, vt pro veteri ſuo more ex edictis regijs de religionis cauſa cognoſceret, neq; quam, etiam ſi fortè ipſam et aliter iuberet, de priſtina ſeueritate remitteret. Cum apertè In-

Hæc apertè ac palam in templis Antuerpiæ, multisq; aliis locis audita sunt.

quisitorum furor atque audacia nihilò leuius quã antehac impunè grassaretur: cùm monachi ac cæteri concionatores non modo nobilitatis ordinem contumelijs prosciderent, plebémq; in eos qui libellum supplicem exhibuerant armarent, sed etiam Principes ipsos nominatim seditionis, perfidiæ ac rebellionis ex suggesto apertè insimularent, ijsque perniciem atq; extremam cladem à rege palã comminarentur: cum denique certissimis indicijs omnes cognoscerent, & multorum etiam literis ac sermonibus vndique confirmaretur, nihil aliud agi quàm vt plebi aliqua ratione illudi posset, vt exinde collectis virib. nõ modò in plebem, sed vel maximè in principes quosque viros, tanquam in perduelles animaduerteretur. Tandem tamen cum iam quid agendum esset, inter se decreuissent, proponunt etiam Brabantiæ ordinibus formulam illam moderationis: sed confestim non expectata eorum responsione promulgant. Dum hæc autem geruntur, ij qui religionem Euangelicam pridem professi, priuatis ædibus hactenus se continuerant, certa spe fore, vt aliquando causa propius cognita calumnijsq; quæ illis falso impingebantur detectis, religionis suæ quam verbo Dei parati erant confirmare, libertas non minus eis concederetur, quam Gallis à Rege galliarum publica ordinum omnium assensione concessa fuerat: cum iam se animaduerterent sua spe, atq; expectatione delusos, indies grauioribus calumnijs

lumnijs opprimi, neque vllam sibi vel in Regis clementia vel in comitiorum expectatione, non modo æqui iudicij, sed ne audientiæ quidem spem reliquam esse, neque tamen desinerent passim omnes Euangelij prædicationem poscere, ita vt iam nullis amplius ædibus priuatis tãta multitudo capi posset, cœpêre non nulli primum quidem in Flandriæ extremis finibus, quibus maximè grassata fuerat Inquisitionis laniena, ac mox in Brabantia, Hollandia, cæterísque omnibus prouincijs, ad prædicationem Verbi diuini in agris conuenire, suámque doctrinam publicè proponere, vt & calumnijs vanissimis aliquando se vel ipsis aduersarijs iudicibus liberarent, & simul qui, quales, quóue numero, & qua dignitate essent, omnibus planum facerent. Ad eos conuentus initio quidem inermes, mox tamen, cum diriſſima quæque aduersarij palam comminarentur, nonnulli vel gladio, vel conto, vel fuste (vt solent qui ad iter se accingunt) pauciſſimi certè sclopis armati accesserunt. Eorum autem numerus paulo post ad multa hominum millia excreuit.

Artes Cardinalitiorũ, ad opprimẽdos Euangelicos.

Hos cum viderent Cardinalitij haud facilè aperta vi opprimi posse, propterea quod & numero, & gratia, & potentia, & æquitate causæ, & vitæ probitate, & denique actionum integritate magnas sibi vires acquisissent, maximè verò quod magna nobilitatis pars (cuius non modò studium pacis publi-

ex, quod exhibito libello ſupplici nuper teſtati erant, ſed etiam omnes actiones in varias calumnias rapiebantur) non ſolum eis non aduerſaretur, ſed potius etiam apertè faueret, iterum ad dolos ac fallacias animum adiecerunt: nobilitatem (quæ in ijs rerum turbis, quomodo ſibi conſuleret, & atroces aduerſariorum calumnias ac violentam audaciam à ſe auerteret, conſultura, Sanctotrudoni celebrem conuentum agebat) varijs artibus circumueniunt. Ac primum quidem eò conantur impellere, vt ſe concionum publicarum hoſtes gerant, eáſque vi armata diſſipent. Quod cum fruſtra fieret reluctantibus nonnullis, qui eam religionem palam profitebantur, alia via adorti ſunt. Simularunt eorum opera vti ſe velle ad componendas populi turbas. Itaque propoſitis nonnullis mandatis, impetrant vt ad Parmenſem Gubernatricem legati ex ijs mittantur, qui tandem de omni re ex æquo, & bono, vti è re publica maximè fore videretur tranſigant. Cum ijs Bruxellam bona fide profectis paciſcuntur. Gubernatrix poſtulat, vt omnem tumultum popularem pro viribus reprimant. Regi Regijſque magiſtratibus omnem obſeruantiam præſtent, armorum cogitationem abijciant, ſiniſtram ſuſpicionem omnem deponant: Regem eorum factum probare, & verò etiam boni officij loco ducere ſibi certò perſuadeant: illa viciſſim

Hæc tranſactio inita eſt Bruxellæ 24. 25. & 26. Auguſti. 1566.

ciſſim eis ſtipulantibus, liberas fore conciones, quibuſcúnque locis hactenus fuerint, pollicetur, imo verò ex authoritate magiſtratus loca ſingulis ciuitatibus ac municipijs, quibus antè conciones habitæ fuerint, iri deſtinatum, quibus ſine omni metu ſuas prædicationes poſſint exercere: Religionis profeſſionem nemini fraudi fore, modo vt ſe cæteroquin in officio contineant, neque in templa inuadant, aut quicquam poſthac moueant: fit vtrinque ſolennis ſtipulatio. Illi fidem iureiurando ſuique deuotione præſtant. Parmenſis ad ſuam aſſeuerationem, etiam conſilium Procerum qui fidem ſuam interponunt, adhibet, & ſimul diploma Regio ſigillo confirmatum, tradit. Paulò etiam poſt 1 ſingulis prouinciarum Rectoribus, ac Magiſtratibus datis literis promulgari hanc tranſactionem iubet, & ſecundum eam, Rempublicam omnem adminiſtrari, & poſt etiam publico 2 edicto inhiberi, ne alteri alteris nomine Religionis maledicerent, vel vllum conuitium facerent, cum omnes vtriuſque Religionis in tutela ac protectione Regia eſſe declararet. Contigit autem interea

1 *Patet ex diplomatum exemplis & edictis magiſtratuum promulgatis, & poſt publicè exciſis.*

Abolitio edictorum Antuerpiæ.

C. iiij.

promulgata eſt vltima Auguſt. 1566. Bruxella 24. Aug. præſente comite à Manſfeld, nomine Regiæ Maieſtatis & cõciones permiſſa à Gubernatrice 25. Auguſt. 2 Alterum edictum de non conuiciando Antuerpiæ 3. Septemb. Bruxella 6. Septemb. publicatũ eſt. In cæteris ciuitatib. pro ratione interualli locorũ.

interea dum hæc Bruxellæ tranſactio inire-
1 tur, primum quidem in occidua 1 Flandriæ
11. 12. 13. parte, deinde etiam in alijs permultis 2 ciui-
Aug. 1566. tatibus prope eodem tempore, imagines, ſta-
2 tuas, atque altaria è templis euerti, aſtú ne
Antuerpiæ aduerſariorum, qui iam pridem omnes occa-
20. *Auguſt.* ſiones accuſandæ plebis erant aucupati, vt
Bredæ, Buſcoducis 22. ſpecioſo aliquo prætextu militè cogere poſ-
23. *in Hollan. & Zelandia* 25. ſent, an verò prauo nonnullorum zelo, qui
26. *&c.* exiſtimabant non poſſe ſe niſi euerſis idolo-
latriæ inſtrumentis pœnitentiam peccati cõ-
miſſi ritè profiteri, incertum eſt. Illud profe-
cto conſtat in multis 3 ciuitatibus ſacrificos
primum cœpiſſe pretioſiſſima quæque ſigna
ac vaſa ex templis atportare, deinde conſe-
3 cutos pueros atque infimam plebem cætera
Antuerpiæ & Bredæ in Brabantia, & in plariſque Hollandiæ locis. plæraque difieciſſe: in nonnullis etiam magi-
ſtratus pontificios, & quidem religioni euan-
gelicæ aduerſiſſimos, 4 autoritate publica
ſtatuas, imagines, cæteráque ſigna demolitos eſſe. Eorúmque autoritate atque exem-
plo nonnullos bonos ciues, ſummi magiſtra-
tus decreto id factum ratos, idem præſtitiſ-
4 ſe. Cuicuimodi ſe res habeat, omninò fuit
Gandaui in Fland. Hagæ comitum in Hollandia, Lyræ in Brabantia: etiam hæc occaſio Cardinalitiorum, ac Inquiſitio-
nis machinatorum inſtituto quàm maximè
opportuna. Cõfeſtim enim milite raptim col-
lecto plæróſque eorum qui huic iconoma-
chiæ operam præbuerant 5 comprehenſos,
ac

Mechliniæ iuſſu magiſtratus factum conſtat. 5 *25. Auguſt.* 1566. *& 28. & inſequentibus diebus.*

ac in vincula coniectos, in crucem fustulerunt. Neque tamen vllis quæstionibus aut tormentis vnquam extorserunt (quod maximè expetebant) vt confiterentur vel ministros Ecclesiarum, vel consistoria, vel ex ijs qui nomen aliquod inter Euangelicæ religionis studiosos obtinerent, huiusce rei autores fuisse. Quin potius vno ore omnes fassi sunt (quod vel ex eorum concionibus ac studijs omnibus quibus eiusmodi factum improbabant, apertissimè liquebat) ijs inuitis ac dolentibus fuisse factitatum. Itaque Gubernatrix non desijt, 1 cœptam ex transactionis forma constituendæ Reipub. rationem persequi. Eóque nonnullos ex proceribus, nonnullos ex confœderata nobilitate, publica autoritate in ciuitates amãdat, qui res ex præscripto transactionis constituant, loca templis ædificandis atque habendis concionibus plebi confignent, fidéque publica ab omni metu ac periculo securos esse iubeant, ac prę- fidiario milite nequaquam se grauatum iri pro certo affirment. Quibus certè rebus omnis populus mirificè exhiliratus cœpit quasi ex turbulenta tempestate in portum tranquillitatis appulsa nonnihil se recreare: metum omnem deponere: fide publica accepta datáque, & obsignatis tabulis confirmata, templa construere: religionem liberè ac tranquillè exercere.

1 *Patet ex posteriori-bus edictis de non conuiciando, ex templorum conceßione, ex pactis cum plebe initis.*

Neque tamen propterea vel sumptis de imaginum euersoribus grauissimis suppli-

cijs, vel editis tam certis ad Eccleſiarum teſtandam innocentiam confeſſionibus, aduerſariorum furor conquieuit. Quin verò exultabundi quaſi iam oblata eſſet ſponte occaſio puniendorum rebellium, neque quicquam à nobilitate (quæ illam iconomachorum inſolentiam ſibi diſplicere non obſcurè teſtabatur) poſthac foret metuendum, paulatim & tamen apertè ac palam militem nuper collectum magno numero auxerunt, præſidia vrbibus hoc prætextu quod in iconomachorum inſolentiam tantummodo vellent animaduertere, palam impoſuerunt, ſeſéque neceſſarijs omnibus communiuerunt, donec rebus ex ſententia conſtitutis, conſpicati plebem, iam in fide publica tum Procerum, tum ipſius Gubernatricis, tum denique Regij nominis, ſigilli atque diplomatis tutò acquieſcere: nobiles etiam qui nunquam ita proteruè ac perfidé ſe deluſum iri arbitrabãtur, nihil mouere: apertè præ ſe geſſerũt quid haberent in animo, ijs enim locis quibus minus eſſe ſibi metuendum exiſtimabant: quibúſue Magiſtratum pro ſuo arbitratu conſtitutum habebãt, primum quidem: nouis promulgatis, & quidem admodum ambiguis edictis, atque illuſorijs interpretationibus, diplomatis de tranſactione promulgatí autoritatem conuellere, multis locis tabularum fidei publicæ obſignationem de die in diem extrahere, & varijs cauillationibus miſeros ciues ludificare, plæriſque locis Magiſtratus,

tus, quos norant esse æquiores, abrogare, homines improbissimos, & ad omnem audaciam instructos, contra ciuitatum instituta pro sua libidine, in eorum locum sufficere. Actum demum quasi perruptis repagulis per summam licentiam armata manu conciones disturbare, ministros ac deinde ciues ipsos contumelijs omnibus lacessere, telis sauciare, postremò aperto latrocinio in eos grassari, multos in vincula, multos in crucem agere, complures exilio mulctare, nouas iurisiurandi formulas, quibus Pontificiæ religioni se obstringerent, contra pacta conuenta, firmatáque præscribere: & eos qui obire recusarent pro hostibus ac perduellibus Regiæ Maiestatis habere, infantes semel sacro baptismatis fonte tinctos rebaptizare: quicunque religionem Euangelicam profiterentur ijs arma omnia adimere: cæteram plebem in eos tanquam in hostes publicos armare. Nec enim iam soli sacrifici & concionatores de suggesto plebem in eos quasi proclamato celeusmate ad arma concitabant, sed multis etiam locis ipsi magistratus qui ad Cardinalitiorum Inquisitorúmque libidinem constituti erant, dato classico ad seditionem ac tumultum popularem aduersus miseros Euangelicos, quibus per contumeliam nomen Geusijs, id est mendicis, iampridem dederant, omnem licentiam concedebant. Atque hinc

hinc profecto duxit originem funeſtiſſima illa florentiſſimæ prouinciæ atque extrema calamitas. Tum enim primum cœpit celebris illa Valencenarum vrbs à ſuis popularibus ac ciuibus hoſtili more obſideri, propterea ſcilicet, quod tam crudelem militem eo numero qui imperabatur, quatuor nimirum equitum cohortes, & quinque peditum vexilla non confeſtim mœnibus accipere annuiſſent, ſed diem ad deliberandum ſumpſiſſent, ac nonnullas cauſas afferrent, quo minus id ſibi eſſe integrum, præſertim cum haberent atrox ac funeſtum militaris audaciæ exemplum in vicinia. Idem enim ille miles, qui eis contra leges ac priuilegia, contra denique fidem nuper datam obtrudebatur, paulo ante in agro atque oppido vicino Sanctoamandi miſeris hominibus, quicunque religioné profiterentur per vim omnia eripuerat, vſque eò vt etiam tenellulis infantibus caligas è cruribus detraheret: matronas ac virgines horrendo Beniamitarum exemplo alteri poſt alteros viciſſim conſtuprarant, ac demum ad tympani fremitum ſub haſta venundederant, nonnullos lenta flamma paulatim vſtulatos necarant, grauidis matronis ferro vterum aperuerant. Quorum horrendis veſtigijs merito profecto exterriti Valencenenſes, ſupplices rogabant, ne cogerentur eiuſmodi militem, mœnibus ac tectis accipere, cuius auaritiæ, libidini, atque crudelitati videbant ſe, ſuam vitam, coniuges, liberos, & conſcien-

conſcientiam denique ipſam fore mancipandam, præſertim cùm ante quadriennium, ea conditione militi præſidiario ſtipendium de ſuo perſoluiſſent, ne poſt amplius vllo milite grauarentur. Nec tamen ita plane recuſarũt, quin apertè & Parmenſi Gubernatrici, & cæteris prouinciæ primarijs Rectoribus ſupplices nuntiarint paratos ſe eſſe ad recipiendũ illorum aliquo duce, quocunque etiam numero militem, modo vt ne fraudi eſſet Religionis libertati, quæ iam illis ipſius Parmenſis edicto, regij diplomatis fide, procerum ac nobilium aſſeueratione, atque omnium denique magiſtratuum aſſenſione paulo ante conceſſa fuerat. Sed ne tãtillum quidem hac æquitate atque modeſtia profecerunt, verum protinus vt hoſtes ac perduelles publicè proſcripti ſunt. Ciuitas obſeſſa donec tandem cum Gubernatricis literis, quæ clementiam omnem ſpondebant, illecti ſe in fidem Norcarmij qui eos obſidebat dediſſent, multi gladio percuſſi, multi in crucem acti, multi ignibus cõcremati, infiniti per licentiam militarem ſelopis traiecti ſunt, neque quicquam omnino in eos prætermiſſum eſt, quod quidem ſolet furor militaris in expugnatis ciuitatibus perpetrare. His tot ac tam crudelibus exemplis commoti plerique, cum iam ſe cernerent circumuentos neque publica fide, nec pactis, conuentis iuratiſque, nec regijs edictis ac diplomatibus, à militari furore atque audacia ſatis tutos eſſe, ſuos aduerſarios

farios magna vi ac bellico apparatu hostilia quæque aduersus eos vndequaque moliri, & verò etiam perpetrare, nullam sibi salutis spem vsquam amplius restare (sese enim iam apertè ab aduersarijs, non modo vt hæreticos, sed vt seditiosos, publicæ pacis perturbatores, templorum euersores, ac Regiæ Maiestatis perduelles haberi, ac tametsi suam innocentiam sæpius ac multis certissimisque indicijs, & reorum etiam confessionibus testatam feciſſent, seséque vltro legitimis Iudicum sententijs subijcerent, nihilominus tamen apud Regem de eiusmodi atrociſſimis criminibus eorum nomini esse delata intelligebant) putarunt sibi ad preces, ad vota, ad lachrymas, & supplicationes esse confugiendum, Regisque iram calumnijs aduersariorum vehementer inflammatam supplici deprecatione ac sincera purgatione leniendam. Itaque libellum supplicem exhibent, quo Regis clementia implorata, suam testantur innocentiam, calumnias aduersariorum, præsertim quæ templorum vastationem spectabant, à se auertunt: nullam in se non modo culpam, sed ne suspicionem quidem rebellionis meritò deriuari posse docent: fidem, obedientiã, atque obsequia promptissima Regiæ Maiestati, quacunque tandem in re supplices deferunt: hoc vnum obsecrant, vt Religionis suæ quam verbi Dei exploratione subijciunt, exercendæ libera potestas detur, ne conscientia

iniquo

iniquo imperio grauetur, pro quo beneficio nomine gratitudinis ac certi indicij ſuæ erga eius Maieſtatem obſeruantiæ præter omnia ordinaria munera, ſolita vectigalia, atque onera, tricies centena florenorum millia intra ratum tempus fiſco Regio ſe repræſentaturos & ad eam rem ſatiſdaturos, templa nulla occupaturos, ſed omnem obedientiam, fidem atq; obſeruantiã ſedulò ac ſolicitè præſtituros pollicentur. Eum libellũ ſingulis magiſtratibus prope ſingulæ ciuitates exhibent, ac ſupplices ab eis poſtulant, vt ad hanc rem ſuam operam, ac fidem miſeris ſuis ciuibus præſtare non dedignentur. Idémque à Proceribus & ab ipſa Gubernatrice flagitant, & ne quicquam inexpertum relinquant quo ſuam erga Regem fidem toti orbi teſtatam faciant, etiam miſſis legatis ac literis nonnullos Germaniæ Principes, quos à ſua Religione non planè abhorrere iudicabant, obnixè orant, vt illi etiam Regis clementiam pro ſe ſuáque innocentia dignentur deprecari: & ſi qui apud Regiam Maieſtatem æquitati & clementiæ, ab aduerſariorum calumnijs locus ſit relictus, imminentem calamitatem à ſuis ceruicibus deprecatione auerterc. Denique vbi ne hæc quidem ipſa vident vllum fructum facere, quin potius animos aduerſariorum grauius exacerbare, & in deterius omnia rapi, quaſi oblata illa pecuniæ ſumma ſuas opes atq; potentiam oſtentare, ac regiæ Ma. minari vellent, & interpellatis Germaniæ Principi-

Menſe Nouemb. 1566.

Menſe Decemb.

Principibus, contra eius voluntatem abuti, neque vllum vel purgationi vel deprecationi locum sibi apud suos magistratus reliquũ esse, eorum aures, oculos, atque animos totos esse aduersariorum criminationibus occupatos, tandem lachrymabiliter apud Brederodium cæterósque nobiles, qui ex Gubernatricis mandato, fidem suam superiorĩ transactioni apud plebem interposuerant, tã iniquè ac perfidè contra publicam fidem datam, & pacta conuenta iuratáque secum agi expostulant, rogántq; vt fidem suam quam Gubernatricis ac procerum mandato interposuerunt, exoluant. Brederodius nobilium nomine literis ad Parmensem datis in colloquium admitti postulat: passus autem repulsam, postulata plebis, adiuncto etiam nobilium supplici libello, ad eam mittit, de tam aperta iniquitate expostulat, rogátque vt fidem suam possint liberare, vt ex transanctione: ac publicis pactis cum populo agatur: ne cuiquam religio sua ac religionis administratio fraudi sit: libertas promissa Religionis concedatur: miles contra iurisiurandi fidem datam collectus exautoretur. Denique ex æquo & bono & ex pactis iuratis Respublica administretur. Illa responso dato ambages quærit, aucupia verborum nectit, non religionis administrationem, sed tantum conciones permissas esse: de Baptismo, de Cœna Domini nihil actum. Itaque à plebe primum pacta esse violata. Breuiter non obscurè præ

Anno. 1567. *8. Februa.*

16. Februa.

rè præ ſe fert, ijs pactis ſe poſthac teneri non velle, ſed ex ſuo arbitrio quando ſe potentiorem eſſe facilè ſentiat, cuncta adminiſtrare: ac demum ſignificat & Brederodium & omnes nobiles, quotquot libellum illum ſupplicem nuper exhibuerint, ſeditionis autores eſſe, ac propterea pro perduellibus ac læſæ Maieſtatis reis atque hoſtibus patriæ à ſe haberi, & tanquam in eiuſmodi criminis conuictos, Regem proculdubio eſſe animaduerſurum: ſe interea ſua autoritate pro arbitrio vſuram. Hæ literæ ad Brederodium cæteróſq; nobiles confœderatos miſſæ mirum dictu quàtopere eos perturbarint: videbant enim ſe iam apertè deluſos eſſe, fidem ſuam populo obſtrictam, hinc pro perduellibus ac læſæ Maieſtatis reis, hinc pro perfidis, quí que vana pollicitatione plebis animos lactauerant eóſq; aduerſariorum mactationi, & lanienç obiecerant, haberi: pacta conuenta, Regium nomen, ſigillum, diploma in nullo pretio eſſe: tranſactionem factam, pro eſca, qua illecti in retia inciderent, per ludibrium haberi: nullum non modo purgationibus, ſed ne deprecationibus quidem locum reſtare: præterea apertè ſe pro hoſtibus haberi, omnia vbique loca militibus paulatim obſideri, quibus propediem ita vndique cingantur, vt ne exitus quidem ad fugam reliquus ſit futurus. His anguſtijs preſſi, tandem etiam extrema neceſſitate coguntur tumultuarium militem conſcribere, non quidem vt hoſtile quicquã

tentent, sed vt tandiu se à vi, atque iniuria aduersariorum tueantur, donec vel æquitati locum, vel effugio viam inueniant. Quod si alioqui Regias ciuitates inuadere voluissent, nemo est rerum in Belgio ita rudis atque hospes, qui possit ignorare, multas ciuitates missis legatis eorum fidem imploraſſe, precatásque vt tantummodo liceret concessu atq; authoritate Brederodij, qui nobilitatis confœderatæ dux erat, se contra insolentem aduersariorum ferociam armis tueri. Valencenenses etiam vnum aliquem ex nobilitate ducē poscebant, multæq; aliæ ciuitates inter cæteras, & viribus & potentia, & ciuium numero facilè principes idem postulabant: & sanè plæræque in eorum si vellent, erant potestate. Nec tamen cuiquam tale quid vnquam vel verbo permissum est, nisi quod Buscoducensibus datus est vnus qui ciuitatem & Regis & Confœderatorum nomine aduersus exterorum militum insolentiam tutaretur, & aditum si fortè intercluderetur Nobilitati patefaceret. Cæteri omnes reiecti sunt, non quod esset difficile munitissimas quasque ciuitates occupare, præsertim si Auraicæ Princeps, quem nunc cunctæ seditionis authorem impudentissimè mentiuntur aduersarij, vel cogitatione tantum concepisset contra Regis ac Parmensis voluntatem quicquam tentare, cum ad eius pedes se abijceret vniuersa ferè prouincia, eius fidem atque auxilium aduersus tam violentos prædones

dones ac perfidos tyrannos imploraret ei se suáque omnia committeret ipse etiam præter Hollandiam, Zelandiam, agrúmque Trâsiselanum, quibus locis præfectus erat, quæque vel maximi ad occupandam vniuersam prouinciam momenti esse nemo sanè nescit, Antuerpiam, Mechliniam, Buscoducum, multáque alias præcipuas ciuitates vel solo nutu in sua potestate posset retinere. Sed noluit optimus Princeps in sua erga Regem fide, vel tantillum desiderari. Dedit quidem ea consilia, tum ipsi Gubernatrici tum ciuitatibus, quæ si valuissent, facilè potuisset & Hispanienſium assectarum audacia, atque cupiditas tyrannica refrenari: & omnis prouincia in fide Regia pacata ac tranquilla retineri. At verò vt vel arma ipse sumeret vel ciuibus sumendi potestatem daret, omnino adduci nunquam certe potuit. Eius authoritatem atque moderationem porrò quam potuerunt proximè insecuti sunt etiam cæteri nobiles confœderati: nisi quod vi ac necessitate tandem coacti ea arma sumpserunt, quæ non ad inuadendas ciuitates, aut vim inferendam, sed ad propulsandam à suis capitibus aduersariorum ferociam, & viam ad effugium ferro aperiendam essent necessaria.

Probatio ex ijs reb. quæ ante Albani ad uêtum gesta sunt, q sint tumultuum Belgicorũ authores.

Atq; hæc quidem ferè vsq; ad Albani aduẽtũ ita vt diximus gesta sunt, quæ quidé putauimus esse paulò diligentius exponenda vt

ab omnibus intelligatur, quàm iniquè nobiſcum agant aduerſarij, qui cum pro ſua libidine omnia geſſerint, acerbiſſima tyrannide, totos quadraginta annos nos oppreſſerint, ac tandem grauiſſimam tempeſtatem varijs dolis ac machinationibus excitarint, qua nos, noſtras fortunas, coniuges ac liberos cõcuſſos ſibi manciparent, & florentiſſimam Belgij prouinciam in funeſtiſſimã calamitatem, ac turpiſſimam ſeruitutem adducerent, iam tamen etiam non deſinunt nos atrociſſimorum criminũ paſſim apud omnes totius Europæ Principes ac populos arceſſere, & in nos ſuarum cupiditatum fructus, & criminũ culpam deriuare. Quiritantur ſcilicet quod non toto corpore totóque vt aiunt iugulo, eorum gladios exceperimus. Dolent nos ſibi ereptos: tantùm facultates ac prædia eorum auaritiæ permiſiſſe: vitam, coniuges, liberos, animam denique ipſam atque conſcientiam eorum furori, libidini, tyrannidi atque impietati non concredidiſſe. Alioqui quid eſt in quo criminationis caput ſtatuunt? an in ſocietate atque confœderatione Nobilium? At legantur confœderationis tabulæ. Ipſæ profectò nobis tacentibus loquentur, nihil eos tentaſſe, nihil egiſſe, nihilque cogitaſſe aliud, niſi vt Regi omnem obſeruantiam, fidem atque obedientiam præſtarent: tantum ſummæ crudelitati, auaritiæ & cupiditatibus nõnullorum improborum ipſa Regiæ Maieſtatis ope atque autoritate voluiſſe intercedere.

De nobilium cõfœderatione & libello ſupplici.

Et

Et ſi tabulis eorum manu propria obſignatis nō creditur, credatur ipſis rebus. Dum enim eſſent adhuc omnia integra, quid eſt quod moliti ſunt? Annō libello ſupplici à Rege poſtularunt, Inquiſitionis effrœnem poteſtatem abrogari, edictorum acerbitatem leniri, aliáque edicta de religione ex ipſius Regis atque ordinum præſcripto edi? At enimuero hoc ipſum eſt, in quo caput aduerſariæ accuſationis verſatur: quod ſcilicet homines liberi, nobiles, patriæ ac tranquillitatis amantes, Regiæ Maieſtati addictiſſimi, auſi ſint libello ſupplici poſtulare, vt edicta contra omnem æquitatem, contra Regiam dignitatem, & cōmunem omnium ſalutē, per errorem ac falſam perſuaſionem introducta, antiquarentur, atque ordinum legitima comitia ad rem pub. conſtituendam inirentur. Hic iam vos appellamus Inuictiſſime Romanorum Imperator, cæteríque Chriſtianæ religionis Principes illuſtriſſimi, ac per deum immortalem eiúſque Filium Ieſum Chriſtum cuius nomine cauſam dicimus, obteſtamur, eſtote ipſi Iudices an hac parte tam grauiter peccatum ſit. An non potius ſanctiſſimum officium ſummi ſceleris loco reputetur? Sanè quum in Brabantiæ Ducem Rex inauguraretur, ſancto iureiurando, & verò etiam pacto couento promiſit ſe omnes querelas, rogationes, poſtulata, quæcunque ſibi tandem à Præſulibus, Baronibus, Nobilibus, Ciuitatibus, ac denique Municipijs ſibi ſubiectos, vel ſe para- *In iucunda introitu. ca. 41.*

tim à singulis vel ab omnibus coniunctim exhiberentur, ea se omnia æquo animo atque æquis auribus laturum, & quotiescunque sua onera seu grauamina essent proposituri, id illis sine vlla fraude vllóue offensionis aut alienati eius animi metu, semper integrum fore. Neque omnino passurum vt eorum quis eo nomine aut prætextu quid patiatur. Quod si fiat, sese in eos, quorum culpa factum constabit, grauiter esse ac seuerè animaduersurum. Tandem nonnullis alijs interiectis, concludit: qnod si ipse aliter ac promisit, quicquam fecerit, fieriue passus fuerit, se cupere omnes suos subditos, omni obedientiæ vinculo tantisper esse exolutos, donec eis ab ea parte cæterisq; omnibus à se iuratis plenè satisfecerit. Iudicate itaq; Principes Illustrissimi an merito hanc tantã & tam grauem Regis offensionem in se suósq; ciues ac populares huius postulationis exhibitione nobiles accersiuerint. Quanquam quis est vsq; adeò vecors atq; omnium rerum ignarus, qui nesciat Regum ac Principũ maximè interesse, vt à suis subiectis de Reipub. statu supplicibus libellis moneantur, & simul cõmoda aliqua via, ad publicam tranquillitaté constituendam retinendámue proponatur?

Cap. 58.

De postulatione comitiorum.

Quis etiam ignorat libera ac solennia Comitia in omnibus prouincijs atq; omnibus populis non modo semper fuisse vsitata, sed etiam habita pro vnico malorũ omnium, & calamitatũ publicarum remedio? ac neminé

vnquam

vnquã eiuſmodi comitia auerſatum eſſe, niſi qui populũ omni libertatis iure, omni legum & conſuetudinũ autoritate, priuilegiorúmq; beneficio vellet priuare, ac ſolus pro libidine per fas & nefas in animas ſimul & corpora ſubiectorum tyrannidem exercere? Sanè in Germania nihil eſt certius, quàm omnẽ ſacri Imperij Maieſtatẽ atq; amplitudinem in hac vna comitiorum ratione conſiſtere. In cæteris etiã totius Europæ prouincijs, populorũ ſalutẽ ſimul ac principũ dignitatẽ, in publicis comitijs acquieſcere, nemo vnquã ſanus dubitauit. Præſertim autem in inferiori Germania id ita ſe habere perſpicuum eſt, vtpote in qua principes omnibus ſæculis ordinum comitijs fuere ſubiecti, ab ijs electi, ab ijs confirmati, neq; ſine eorũ aſſenſione, & autoritate quicquã vnquã decernere potuerunt, & verò etiã nunquã facturos 1 Brabantiæ priuilegijs, & Flandriæ cõſuetudinib. apertiſſimè cautũ eſt. Illa autẽ cũ ſtipulatione & contractu mutuo, in acta cõuenta abierint, ac proinde ad ius 2 Gentiũ ꝑtineant: ſanè à principe viclari aut reuocari, ſine alterius partis cõſenſu planè nõ poſſe indubitati iuris eſt.

1 *Id abunde patet ex iucũdo introitu, & præſertim ex articulis 3. 18. & 25.*

2 *No. ca. 1. De proba. Abb. in c. nouit de Iudi. in 8. col. & Bart. in l. hi qui. ff. de iure immuni. & in l. quod ſemel. ff. de decretis ab ord. faciendis & in l. omnes populi. ff. de iuſtitia & iure Io. And. in addi. Spec. in t. De cenſib. §. nunc dicendum & in t. de inſt. edi. §. nunc verò aliqua. Bal. in l. qui ſe patris c. vnde liberi & in l. ſi cum mihi. ff. de dolo & in l. nõ nu ꝑta. ff. de ſenat. aliſq; locis in finitis & cocordãt omnes Doctores. Pacta. n. eſſe iuris gentiũ nemo ambigit. Ius autẽ gentiũ violari nõ poſſe, ne à principe qdẽ indubitati iuris eſt.*

Sed esto tamen: peccarint hac in parte nobiles, fuerit illis nefas supplici deprecatione viam commonstrare, qua communi patriæ internecioni commodè obuiam iretur. Ecquid verò etiam peccauit misera plebecula, aut ecquo eiusmodi crimine tantam, & tam inusitatam crudelitatem in se concitauit? Nisi fortè quod publicis edictis Regio nomine promulgatis, ac Regio sigillo confirmatis credidit, putauítque publica fide interposita, sine fraude se posse Euangelicis concionibus interesse? Quod enim causantur à plebe sumpta aduersus Regem arma, templa imaginibus spoliata, nouam religionem introductã, vana est, & calumniæ plena criminatio.

De sumptis armis.

Quod enim ad arma sumpta attinet, omnino nemo est, qui ea contra Regem Regísue dignitatem vsurparit. Et verò ante publicam fidem ac iusiurandum neglectum, ante edicta Regis, quibus Religionis libertas permittebatur violata, pacta conuenta, & pacis publicæ fracta fœdera, nemo homo fuit, qui nisi sui aduersus impendentem sicariorum ac latronum vim, atque improbissimorum hominum apertas comminationes defendẽdi causa se armarit, nimirum cum extra vrbes in concionem irent, ac se nõnulli gladio, nonnulli fuste, aut conto, perpauci sclopo armarent, prout quisque peregrè abiens solet se aduersus latronum, & sicariorum audaciam munire. Postea verò quàm ab hac parte iussi sunt esse securi, & à Gubernatrice cautũ est,

eſt, ne quis eis, quàm diu ſe tranquillos continerent vim vllam inferret, ſtatim ad imperium Magiſtratus arma depoſuerunt, ſeſéque eorum fidei ac tutelæ libentiſſimi commiſerunt. Tandem autem vbi iam contra fidem datam, contra omne ius humanum pariter & diuinum, omniáque priuilegia conſcripto milite in eos tanquam in hoſtes ac perduelles patriæ agi cœptum eſt, datáque militi licentia vt in eos qui ſe publicæ fidei commiſerant, rapinis, cædibus, vaſtationibus, ſtupris ac flagitijs graſſarentur, tum demum cœpere ſe nonnulli portis ac mœnibus contra eiuſmodi inopinatam atque inauditam violentiam tueri. Poſtremò etiam cum iam, nō publicam libertatem, non coniugum pudicitiam, non conſcientiæ tranquillitatem, ſed ne vitam quidem ſaluam, ne mœnibus quidem ac portis aduerſus apertam vim tueri poſſent: ſumpta ſunt, fatemur, à nonnullis arma neceſſaria, & illa tamen ipſa neque contra Regem, regiúmue Magiſtratum, ſed potius ad partam Regis edicto libertatem, contra prædonum ac improbiſſimorum militum audaciam, conſeruandam, neque ab omnib. ſed à paucis tantum, qui quando videbant nihil ſibi præter vnum exilium relictum, & verò illud etiam ipſum aduerſariorū improbitate intercludi, vtique vel ferro ſibi ad ſalutem atque effugium viam eſſe patefaciendam duxerunt: quod certè niſi eſſet factū, & Brederodiani militis terror aduerſariorum ani-

mos pauliſper dubios tenuiſſet, haud vnus aliquis ex tanta clade, & tam hiantibus aduerſariorum faucibus ſeſe incolumis potuiſſet eripere. Ab alijs autem, aut aliam ob cauſam, arma ſumpta eſſe, ante Albani aduentũ nunquam probabunt: tametſi ſe infinitæ perſæpe occaſiones obtulerunt occupandarum vrbium etiam munitiſſimarum, inuadẽdi ærarij atque expilandi fiſci. Sed noluerunt vnquam quicquam committere; quod non poſſent bona cõſcientia, & Deo & omnibus bonis probare. Quod ſi qui tamen homines inſolentes aliud vel ſpectarunt vel egerunt, cum nec autoribus, nec approbatoribus ijs qui eccleſiæ præeſſent factum ſit, non debet profecto paucorum inſolentiam, tam magna hominum innocentium multitudo luere: nec enim ad nos pertinet, quid nonnulli homines priuati ad ſuas iniurias, vel ab Inquiſitoribus vel à ſacrificis alijſue hominibus acceptas vlciſcendas perpetrarint. Omninò quemadmodum etiam ad nos minimè ſpectat imaginum ac ſimulachrorum euerſio. Noſtris enim vel miniſtris vel ſenioribus vel deniq; eccleſijs approbantibus minimè id factum eſſe facilè probabimus, niſi fortè ſi qui pauci ex noſtris conſentiente Magiſtratu ſibi id facere fas eſſe exiſtimarint. Quanquam certè quicunq; id perpetrarunt, iam ſatis & verò etiam plus ſatis culpam luerũt: Etenim vnius mortuæ ac truncæ imaginis loco, plus quam decem ac viginti viuæ Dei imagines,

De imaginum euerſione.

pro

pro quibus ſanguinẽ ſuum profudit Dei filius, cæſæ, euerſæ atq; exuſtæ ſunt, & in vnius trunci putris vicẽ pluſquam decem alij recentes trunci, ac ſtatuæ publicis impenſis reſtitutæ. Quod ad nouam religionem introductam attinet, nemo eſt qui neſciat minimè nouam eſſe hanc noſtram religionem. Nã præter quòd à Chriſto dierum antiquo, atq; æterno Dei filio, p Prophetas, Apoſtolos ac Martyres nobis à multis ſęculis eſt tradita, etiam conſtat plus minus totos quinquaginta annos in Belgio eam viguiſſe, & priuatis ſęmper conuentibus, atq; concionibus fuiſſe propagatam. Neque vnquam vel iudicio legitimè conſtituto, vel edicto rite compoſito dãnatam. Nam & quæcunque iudicia aduerſus eos, qui hanc religionem profiterentur dicta ſunt, ea non admiſſis ad legitimam defenſionem reis, ac verò etiam ore illis pila obturato, linguáue præciſa contra iudiciorum morem, per edictorum acerbitatem ab inuitis plerunq; iudicibus ac magiſtratibus, non rarò etiam contra eorum conſcientiam extorta ſunt: edicta verò quæcunq; tum à Carolo Imperatore, tum à Philippo Rege cõtra eam religionem facta ſunt, ea omnia quia & contra patriæ leges ac inſtituta, non conuocatis prouinciæ ordinibus (vti ſolenni iureiurando tenebantur) neque aſſentientibus ijs quorum aſſenſio ex iure & more maiorum requirebatur, inuitis etiam plærisque magiſtratibus obtruſa ſunt, & vaniſſimis atque apertæ calum-

De noua religione.

Patet ex 3. 18. & 25. articulis Iucundi introitus & infinitis aliis quæ nimis longum eſſet commemorare.

calumniæ plenis fundamentis, per manifestum errorem (vt ipsis edicti distertis verbis, supra à nobis demonstratum est) innixa, ipso iure planè nulla & irrita esse constat. Itaque non potest profectò hæc Religio noua conseri, neque qui eam profitentur, cum nullo sint legitimo iudicio damnati, vllius criminis debent insimulari, multo certè minus seditionis ac tumultus popularis, & verò etiam miserrimæ huius calamitatis authores existimari. Quanquam quid est necesse quasi in re obscura hæc pluribus disputare? cum iam apertè res ipsa clamet, neque cuiquam amplius obscurum esse possit, in quo huius incendij & calamitatis culpa resideat. Iam ante attigimus quis animus Hispanienſibus Inquisitoribus ac sacerdotibus fuerit, quæ consilia agitarint, quibus administris vsi fuerint, qua via sibi dominatum hunc tyrānicum, ac summum sine lege, vllóue præscripto imperium in Belgio conquisierint. Hæc si fortasse pro solita eorum in cæteris prouincijs moderatione, & æquitate cuiquā minus viriſimilia esse videntur, quæ tamen vel pueris ipsis sunt decantata, certè hoc tempore, his rerum euētibus, his eorum rebus gestis, hac inaudita Albani tyrannide, quę ante omnium ora versatur, cui tandem amplius poterunt esse obscura? Cesserunt patria, quos illi dicunt rebelles, & etiamsi multis præclaris oblatis occasionibus potuissent res mouere, maluerunt exilium, ac paupertatem obire, quàm patriæ

A' rebus post Albani aduentū gestis.

funeſtum bellum inferre. Quid? an propterea quicquam de illorum crudelitate remiſſum eſt? annon poſtea quàm in Hiſpania ſuis machinationibus perfeciſſent, vt Rex qui frequenti ſenatu Madridi iurarat velle ſe iniuriam quam à ſubditis exiſtimabat in Belgio accepiſſe, præſentem vindicare, eóque nomine parabat eò profectionem, & ſimul filium atque vxorem Reginam ſecum deducere ſtatuerat, de ſententia prope inuitus deceſſerit, & quod eum arbitrarentur natura ad clemẽtiam ac lenitatem propenſum eſſe, in Hiſpania remanſerit: Albanum ducem quem ſuo inſtituto ſuiſque rationibus (tum ex rebus olim in Germania ab eo geſtis, tum ex omni eius vita & maximè ex veteri odio & ſimultate quam cum Belgij proceribus, propter res olim in bello Gallico contra eius ſententiam ac voluntatem proſperè geſtas, etiamdum fouebat) norant eſſe cum primis opportunũ, inuito etiam filio, multíſque regni proceribus pro ſe legarit, eí que ſummam poteſtatem dederit? Annon, inquam, Regis vnicum filium ac Belgicæ prouinciæ legitimum hæredem ac dominum, propterea quod & Albanum aduerſaretur, & ab edictorum contra Religionem acerbitate abhorreret, Germanos etiam inferiores beneuolentia ſingulari complecteretur, carcere tetro clauſum vitam finire coëgerunt? ſparſis vaniſſimis ac diuerſiſſimis de eius obitus cauſa rumoribus? Quid enim Regina ipſa factum ſit, ſatius eſt

us est alios cogitare quam nos dicere. Illud certè omnes vident quomodo se fidus eorũ administer Albanus gesserit. Venit in prouinciam iam pacatam, eiectis vel certè in exilium voluntarium profectis ijs quos putabat sibi aduersaturos. Accipitur ab omnibus honorificentissimè, neq; vnus quisquam inuentus est, qui non promptissima obseruantia in legatum regis, suam erga regem voluntatem testaretur.

Albani res gestæ in Belgio.

Hic verò eos non vt subditos regios sed vt hostes ac perduelles confestim habet: in omnes tum euangelicos, tum pontificios peræquè sæuit, principes viros contra omnẽ legum autoritatem, priuilegiorum libertatem, ac inprimis contra sacri fratriæ Burgundicæ velleris aurei insignis iura ac sanctiones, ex vinculis causam dicere cogit: & eius iudiciũ vt suspectum atq; illegitimũ recusantes, séq; corã æquis iudicibus sistere paratos obtruncat: cæteros qui patriæ tranquillitatem optimis sanctissimisq; consilijs tutati erant, & tumultus populares ac sanguinis profusiones singulari prudentia auerterant, perduelles ac proditores regis & patriæ declarat, cogitq; velint, nolint, armis sumptis tam fœdã ignominiæ labem à se propellere. Quem armorũ necessariorum (vel quouis viro bono iudice) prætextũ, ex eo tempore non modo ad calũniam, sed ad summam suam tyrannidem titulo aliquo exornandam arripuit, & quod prídẽ animo conceperat, iã exequi cœpit. Itaq;

Magi-

Magiſtratus omnes ſi qui vel æquitatis micã præ ſe ferrent, cũ ignominia loco mouit: homines impuros atque omnis generis ſceleribus ac flagitijs coopertos in eorũ locum contra omnes leges ac mores ſubrogauit: nouũ ſenatum Hiſpanorum ad quos cauſæ capitales referrentur, quíq; eo nomine Senatus ſanguinis dictus eſt, pro ſuo arbitratu inſtituit, eáq; ratione Magiſtratus legitimos & ordinarios iuriſdictione, & cognitione cauſarum à legibus data priuauit: miſera plebe, quę nullius criminis cõuicta erat niſi quod diplomati regio, quod Gubernatricis publico edicto, quod publicis tabulis fidem adhibens, Magiſtratu conſentiente, concionibus interfuiſſet, cruces ac patibula oppleuit, infinitos enſe percuſſit, infinitos lenta flamma viuos concremauit, multos etiam nõ dicta cauſa capite damnauit: complures diuturni carceris tetro ſqualore enecatos fortunis omnib. euertit in optimos quóſq; hominibus probroſis, & per omnẽ vitã infamia coopertis, quóſq; certũ eſſet pretio emptos eſſe, teſtimonij dictioné dedit: plærisq; autẽ quibus vitã eripuit, linguã ante ne poſſet eſſe tantæ iniuſtitiæ teſtis, execuit, nonnullis etiã forcipe candẽte aduſſit: alijs labra ferro acuminato vtrinq; tranſfixa ſimul glutinauit: alios machinulis ferreis ore fœdiſſimè diſtorto, ac diſſluẽte tabo & ſanguine, ad ſæuiſſima mortis ſupplicia rapuit. Nihil deniq; Phalaricæ tyrannidis ptermiſit. Nec tantũ eos q Euangelicã doctrinã profiterentur ſed etiã Pontificiæ religioni

deditiſſimos, quí que ſemper ne quid aduerſus Regem moueretur, omni conatu obſtiterant, varijs tormentis excruciatos necauit. Qui verò patriæ calamitatem cernere nequierant, & ſe aliò ad euitandam imminentem tempeſtatem contulerant, eis diem dixit, & confeſtim vix expectato vadimonij die, in bona eorum fiſco adiudicata inuolauit, & non modò viduas ac pupillos innocentiſſimos, & verò etiam Pontificiæ religionis ſtudioſos dote ac patrimonio, verum etiam bonæ fidei creditores iuſtis ſuis ac legitimis nominibus fraudauit: inſontium hæreditates ab agnatis & propinquis, quibus propter ſuorum ac proximorum hæredum capitis diminutionem ſeu mortem ciuilem iure ceſſerãt, per ſummum nefas ad ſe auertit: ciuitatibus ac municipijs omnia libertatis iura, leges, inſtituta & priuilegia eripuit: humanitatis omne ius euertit: charitatis Chriſtianę, ac lege diuina imprimis præcepta officia ſuſtulit: edicto enim vetuit, ne quis parentum, filiorum, agnatorúmue aut cæterorum cuiuſcunq; generis hominum, vllum officium ijs qui Euãgelicam religionem profiterentur, quíue ob deſertum vadimonium exularent, vllámue opem præſtaret: liberos à parentibus, parentes à liberis, vxores à maritis alienauit: Traiecti ad Moſam, patrem necauit, propterea quod filium, qui nonnullo tempore abſens fuerat, vna nocte tecto excepiſſet. Alium etiam notum ciuem, quòd inopi viduæ tribus aut

aut quatuor liberis grauatæ cuiq; maritus olim religionis nomine interéptus fuerat, frumentum ad modij sextantem per eleemosynam largitus esset: & item alium quod pauxillulum nummorum necessario suo in Angliam misisset, morte affecit. Complures matronas honesto loco natas, quod maritos ædibus recepissent, fuga & exilio voluntario salutem, ac mendicando sibi suisque liberis victum quærere coëgit: nonnullorum qui tantùm familiarem epistolam de necessariorum valetudine accepissent, domos demolitus est. Quid? quod ne mortuis quidem ipsis pepercit? Edicto enim cauit, vt quicunque sine confessione auriculari diem obirent, eorum bona proscripta essent, corpora in patibulum traherentur. Quo quid fingi potest crudelius, quid inhumanius, quid iniquius? quum indies vsuueniat, ita de repentè mori infinitos, vt ne ad cogitanda quidem peccata ꝺcium detur? Ciuitatibus nó milites sed hostes ac prędones, qui pro libidine in fortunas, cõiuges, liberos, ac vitam ciuium grassarentur, imposuit, ijsque quicquid luberet, impunè perpetrandi potestatem dedit. Ecquod enim est tã atrox facinus, quod Hispanorum militum furor non impunè in Belgio, & cõmiserit, & cõmittat indies? Iperis (id est celebre Flandriæ oppidum) cum verbi minister quidam morte mulctaretur, sine vlla alia occasione, milites in miseram atq; inermem plebis coronam arma conuerterunt, & præter infini-

tos ad mortem fauciatos, etiam viginti duos ciues plumbeis glandibus traiectos ilico proſtrauerunt. Tornaci contentione inter Hiſpanos milites, & eos qui in arcis præſidio erant orta, duobuſq; Hiſpanis interemptis, cum cæteri acclamarét, HISPANIA, HISPANIA ad eam vocem reliqui Hiſpani milites acciti, per ciuitatem furibundi diſcurrerunt, & obuios quoſque ad quindecim numero bonos atq; honeſtos ciues trucidarunt. In eadem vrbe cum nonnulli ex Hiſpanis militibus ſuſpicarentur viduam quandam, quæ à mariti nomine Potier appellabatur, pecuniæ vim in ædibus poſſidere, publicè ac media luce in ædes per vim irruperunt: miſeram viduam eiuſque ſimul filiam ac neptem crudeliſſimè iugularunt, & quicquid eſſet in ædibus diripuerunt. Inſulis, quæ eſt inter præcipuas Flandriæ ciuitates, ea quæ pontificiæ religioni ſemper fuit addictiſſima, cum Hiſpanus quidam honeſti ciuis coniugi per vim ſtuprũ inferre volens, à marito ac duobus eius vicinis eſſet prohibitus, & HISPANIAM quaſi ſcelerum omnium impunitatis ſymbolum inclamaret, cæterorum, qui ad hanc vocem acciti accurrebant, vi atq; ope ciuem eiuſque vicinos comprehenſos magiſtratui puniendos, vt rebelles ac ſeditioſos tradunt, cum ea comminatione, niſi confeſtim id fiat ſeſe ciuitatem incendio perdituros, ita vt iudices territi ex eis duos ſuſpenderint, tertium virgis cæciderint. Sed quid attinet militum

Hiſpano-

Hiſpanorum facinora ſigillatim commemorare, cum nullum ne fingi quidem facinus aut flagitium poſſit, quod illi non in ſingulos prope dies impunè perpetrent? His tamen de ſuo alimenta ſuppeditare cogit Albanus, qui ſcilicet eorum arculas expilent, vxores conſtuprent, liberos ac familiam pro libidine interimant, neque quicquam à ſua crudelitate, auaritia ac flagitijs vacuum relinquant. Quo quid poteſt excogitari iniquius? Quanquam quæ poteſt eſſe tanta iniquitas, à qua Albani animus abhorreat? Qui ne quid eſſet adeò ſanctum, quod immani audacia non violaret, ne matrimonij quidem iura ſacratiſſima veretur profanare. Multorum enim coniugia legitima, inani hæreſeos prætextu diſſoluit: liberos ex iuſto matrimonio procreatos pro ſpurijs habuit, & à patrimonij ſucceſſione excluſit: alienas coniuges, quę in publico Eccleſiæ cœtu nuptæ eſſent, propterea quod vel miſſa omiſſa, vel ſacrificus non admiſſus eſſet, nouo coniugio vel potius infami adulterio alijs copulauit, atque ita manifeſta adulteria & bigamiam, etiam publicis edictis rata habuit. Viduas per vim ac potentiam ſuis militibus ac ſicarijs inuitas ac reluctantes nubere coegit, ita vt nonnullæ patria & bonis omnibus ceſſerint potius, quam vt tantum in ſe probrum admitterent. Quid? quod ne baptiſmi quidem ſacroſanctam religionem inuiolatam reliqt? Quicunque enim ex ritu Apoſtolorum &

veteris Eccleſię, ac manifeſto præſcripto verbi diuini, iam ante publicè baptiſmo tincti erant, per ſummum nefas, etiam contra pontificiorum decretorum ſanctiones denuo baptizari curauit. Nam de ſepulchrorũ religione, quæ vel maximè barbaris atq; efferatis nationibus ſemper poſt homines natos fuit ſacroſancta, quid attinet dicere? cùm nihil ſit veritus, probos ciues qui iam quartum decimum & amplius diem erant humo cõſepulti, immani crudelitate exhumare, & corpora iam vix ſuis oſſibus cohærentia, nonnulla in patibulum trahere, nonnulla igni cõcremare? A qua certè immanitate ne ſacri quidem Imperij ciuitates immunes abire paſſus eſt. Etenim Harderuikij in Geldria (quod eſt Imperij feudum) ciuis honeſti & iam diu antè ſepulti corpus monumento extractum, & quidem ante ædes atque ora miſeræ viduæ, cum acerbiſſima inſultatione ſub patibulum fuiſſe raptatum nemo eſt qui neſciat. Sed quid poteſt eſſe vel inter viuos tam ſanctum, vel tam religioſum inter mortuos, quod hic non auſus ſit apertè violare? qui pro ſola libidine ex prophanis ſacra, ex ſacris prophana effecit: leges fixit ac refixit. Opulẽtiſſimos quóſque proſcripſit. Nobiliſſimos ignominia affecit. Innocentiſſimos capite damnauit, ſenes decrepitos, pueros impuberes, tenellulas virgines diriſſimis cruciatibus affectos mori coegit: inauditas exactiones, inſolita tributa ciuitatibus ac toti prouinciæ imperauit: infinitam

nitam auri argentíque vim per comminationem extorsit, & iam etiam nuper omnibus mercibus, atque vsuris decimum nummum imperauit atque ea ratione mercaturam immiuuit, negotiandi cum exteris nationibus facultatem præcidit. Qua tyrannide quid vnquam post homines natos auditum est vel crudelius vel auarius? commemorãtur Caligulæ improbæ extorsiones, nouáque & inaudita vectigalia: at ille tamen modum aliqué cupiditati statuit, cum singulis hominum generibus nominatis singula tributa imponeret. Hic vero nequid eum vel minutissimum effugiat, in genere omnium facultatum decumas extorquet, præter centesimas quas nuper abstulit, aliásque nouas centesimas quas denuò fundis ac prædijs omnibus bonísque immobilibus imperauit. Et præterea vicies centena aureorum milia quæ in singulos annos ab vniuersa prouincia popoſcit: Quid plura? an potest esse homo aliquis animo ita efferato, qui ad tantæ ac tam inusitatæ crudelitatis, auaritiæ, perfidiæ atq; impietatis vel leuem commemorationem, non exhorrescat? An potest etiam quis vsque adeo vecors ac mente captus reperiri, qui posthac sibi persuaderi patiatur hos bonos viros nihil quærere aliud, nisi vt Belgicam prouinciam Regis imperio conseruent, religionem tueantur, legum autoritatem sanciant, cum omnes eorum actiones apertè clament, præter vnam auaritiam, atque improbissimam cupidita-

 tem,

tem, nullum illis regem esse, nullam legem, nullam religionem? prætexunt quidem omnes Belgas esse Luteranos, esse rebelles, ac Regiæ Maiestatis hostes, propterea scilicet quod se Inquisitionis iugo, hoc est, sceleſtissimorum hominum turpissimæ libidini, atque iniquissimæ tyrannidi non vltro ac sponte submiserunt. At enimuero si Regem pro hoste habuissent, haud vnquam profectò tam sanctè suam erga Regem fidem seruassent, neque tam solicitè vrbes, oppida atque arces omnes in eius fide & clientela retinuissent. Nunquam etiam Regijs edictis, Regio nomini, Regio sigillo, Regiæ gubernatrici tam bona fide credidissent. Ac proinde nunquam has calamitates nimia credulitate sibi accersiuissent. Nec denique vnquam in eas oras pedem Albanus intulisset. Obtulerunt enim se infinitæ occasiones auertendi Regij imperij, alienandarum ciuitatum, iniendorum cum vicinis nationibus fœderum atque Albani ab ipso prouinciæ limine excludendi: neque vnquam tamen vel sando quid eiusmodi auditum esse, vel aduersarij ipsi, nisi sunt impudentissimi, audebunt asseuerare. Sed fac tamen fuisse rebelles. An propterea fides data, an iura omnia diuina atque humana, an omnia sacra simul & prophana erunt per eiusmodi inauditam tyrannidem violanda? Accepimus sanè maiorum nostrorum memoria ex Flandris nonnullas ciuitates aduersus Inuictissimum Romanorum

manorum Regem Maximilianum rebellaſſe, & ciues non modo eius imperium apertè reſpuiſſe, filium eius Philippum eo inuito totos octo annos detinuiſſe, ſed ipſum etiam Maximilianum in vincula per contumeliam coniecisse: poſtea Imperatoris Friderici cæterorúmq; Principum Germanorum ope victas in poteſtatem eius redijſſe. Tantum autem abeſt vt in tam fœda rebellione, tam atroci accepta iniuria, quicquam Albano ſimile commiſerit Maximilianus, vt clementi tranſactione ſubditos ſuos non modò in gratiam receperit, verum etiam omnibus priuilegijs atque immunitatibus priſtinis, ſingulari ac tali Principe digna clementia reſtituerit. Qua certè incredibili lenitate, ſibi ſuiſque poſteris vniuerſam prouinciam obſequentiſſimam atque ad omnia officia promptiſſimam reddidit. Hi verò eos qui fidem ſuam Regi ſemper integram conſeruauerunt, qui Regis imperio ſemper audientes fuerunt, nullum vnquam tributum, nullum vectigal, nullum denique onus impoſitum detrectarunt, qui etiam omnes ſuas fortunas Regis voluntati libello ſupplici conſecrarunt, nihílq; omnino præter vnã conſcientiæ religionem, quã vni Deo inuiolatam debent, à Regis imperio vnquã exemerũt: eámque ipſam religionis libertatẽ, etiã extraordinario, & quidẽ lõgè ac grauiore tributo, quã ſuã religionẽ vel Chriſtiani à Turca, vel Iudæi redimant à Pontifice, ſupplices redimere

cupierũt : nullũ aliud ob crimen quàm quod Regijs edictis, quæ in certum atq; irreuocabile ius transierant, regióque diplomati ac nomini fidem habuerunt, eáque fiducia concio-nes publicas, quibus nihil nisi purum Dei verbum proponebatur, quibúsque sedulò ad præstandam principi ac magistratibus obedientiam monebantur, omnibus bonis exutos tanquam humani generis infestissimos hostes, aqua, igni, aëre ac terra arcent : omnéque prouinciam sine vllo discrimine nocentium aut innocentium, inaudita crudelitate ex carnificàt, insatiabili auaritia expilàt, ac plusquam barbarica tyrannide opprimunt. An cuiquam amplius potest esse obscurum, quid huiusmodi homines antehac tam diu moliti sint, quò animum, quò oculos, quò manus rapacissimas intenderunt? An est quis adeò cæcus qui non videat, quæ fuerit superiorum tumultuum in Belgio causa & origo? ita stupidus qui non sentiat iam huc ab initio spectasse bonos istos viros, Inquisitionis, inquã, Hispanicæ architectos ac præsules, vt Regis animum à subditis suis alienarent & quauis ratione crimen rebellionis eis imponerent, vt quo modo in regno Neapolitano, Siculo ac ditione Mediolanensi, in India noua, & verò in ipsis Hispaniæ visceribus grassati sunt, eodem etiam in Germania inferiore, & ita paulatim data occasiõe, in superiore grassarentur? vt prætextu Pontificiæ religionis tuendæ, omnem in Belgio ciuium libertatem oppri-

opprimerent: Magistratuum autoritatem imminuerent: legum dignitatem violarent: Regis ipsius imperium ac Maiestatem suæ potestati subijcerent: ac ipsi sine lege ac præscripto, pro sola libidine quod vellent, imperarent: quod luberet, raperent · quod offenderet, necarent: locupletnm fortunas exhaurirent, & se rerum omnium dominos efficerét?

Quod si quis fortè arbitratur, hæc quia sunt præsentia, neq; adhuc ad exitum perducta, haud facilè posse æstimari, is ex præteritis iudicium faciat. In quo vos hic potissimũ appellamus Inuictiss. Cæsar, ac Principes Germaniæ illustrissimi. Reuocate in memoriam, quid antehac in Germania egerint, qd, quibus artibus & cõsilijs machinati sunt: agnoscetis profecto veteres artes, agnoscetis veteres Hispanos, agnoscetis veteres Inquisitores. ijdem enim illi, qui iam pridem illustrissimos Germaniæ Principes & calumnijs atrocissimos, & pontificij nominis terrore apud Carolum quintum oppresserunt, qui in Germaniæ superioris intimá viscera belli ciuilis funestam facem intulerunt, & obtenso rebellionis velo, ipsos Principes protestantes tantæ perfidiæ etiam dum ignaros inter se commiserũt, qui in Germania sceleribus ac flagitijs omnia fœdarunt, qui Germaniæ libertatem ac iura Imperij eripere conati sunt: ijdé illi hodie Germaniæ inferioris incolas ijsdem calumnijs, apud eiusdem Caroli filium Hispaniæ Regem grauarunt, ijsdem artibus cir-

A' rebus olim in Germania & alibi gestis.

cumuenerunt, eodem conatu oppreſſerunt. Hi ſunt ijdem illi tantæ perfidiæ authores atque architecti: ijdem etiam eorum crudelitatis & auaritiæ conſcij, ijdem denique facinorum atq; audaciæ adminiſtri. Cui enim Germanorum Granuellanus cardinalis, cui dux Albanus poteſt eſſe ignotus? quorum vterq; olim illuſtriſſimos Germaniæ Principes, partim vi partim dolis, ac fallacia circumuentos in vinculis detinuerunt, omníque contumelia effecerunt. Hæc ſunt illæ ipſæ faces orbis, quibus niſi veſtra authoritate, prudentia ac fortitudine maturè proſpiciatur, breui profectò maxima Europæ pars, funeſta flamma conflagrabit. His igitur authoribus accepta ferri debet omnis in Belgio quæcunque fuit tempeſtas, omnis ſeditio, omnis denique calamitas. Quod ſi quis eſt qui nondum intelligat, is illius Caſſiani meminerit, CVI BONO FVERIT: ſecúmque diligenter expendat non modo cui bono iam ſit hæc publica Belgij calamitas, ſed etiam vtri potuerint ſperare ſibi bono fore. Cum nos niſi imminentem nobis calamitatem vel ex religionis deſertione, cõſcientiæ que mortali vulnere, vel ex Regis grauiſſima offenſione, & ſimul funeſta patriæ calamitate, quocunque ſors tuliſſet, cerneremus: illi ſuos triumphos, ſuum dominatum atque imperium, ex eiuſmodi quapiam occaſione, iam pridem aucuparentur: ita vt nunquam deſirint, & Regi apud populũ, & populo

populo apud Regē ſiniſtris artibus inuidiam parare, auidóq; ore atq; arrectis auribus omnem auram ſeditionis arripere, eáq; Regis aures atq; animum, cum magna atq; odioſa verborū amplificatione afflare. Quod cum ita ſit omnibus notum, vt nulla probatione egeat, tamen ipſius pro Rege in Gallia legati teſtimonio, manifeſtiſſimè cōfirmatur. Is enim datis ad Parmenſem literis ita ſcribit, ex hoc tumultus Belgici incommodo magnum commodum ac fructum ad Regem eſſe peruenturum, quod nimirum hac occaſione eos ad integram obedientiam, ſubiectionémq; ſit adducturus, ac in eum ſtatum, ac imperandi rationem conſtitutionémq; deducturus, ad quem eius maiores peruenire nunquam antehac potuerunt, quémq; tanto iam tempore Rex ipſe vehementer exoptauit, & in quem animum & conſilia ſemper hactenus intendit. Neq; quenquam Regiæ Maieſtatis ſtudioſum, ſuaſurum eſſe, vt hanc tam præclaram rerum gerendarum occaſionem elabi ſibi patiatur, &c. Quibus verbis manifeſtè prodit iam pridem quæſitā optatámq; fuiſſe occaſionem qua poſſent Hiſpani Inquiſitores (Regis. n. nomine ſuas cupiditates tegūt) in Belgium inuadere, eius opes ac facultates expilare, & pro libidine quod videretur, imperare. Ita vt nemo amplius dubitare poſſit vnde hæc orta ſint mala, cū liqueat à quibus horū malorū fructus iam ante multo tempore fuerit expetitus: conſtet etiam ſæpenumero in con-

Exemplum epiſtolæ de verbo ad verbum extat in calce Apologiæ Principis Auraicæ, omniumq; manibus p tritum eſt.

in confeſſu multorum hominum, Cardinalē cum obijceretur, metum eſſe ne populus, ſi grauius premeretur, ſeditionem aliquam excitaret, reſpondiſſe, populares ſeditiones Regibus non eſſe magnopere extimeſcendas, ſed optandas potius: ſiquidem ex ijs magna ad Regiam potentiam ac Maieſtatem acceſſio fieri ſoleat, ac de priuilegijs ciuitatum & iure libertatis popularis magna deceſſio. Alioqui quid eſt quod his tot & tam inuſitatis auaritiæ, & crudelitatis exemplis quærunt? an ſubijcere Regio imperio populum? At nemo ſanus non videt, hanc non eſſe veram ac legitimam eius conſequendi rationem, cum beneuolentia, humanitate, ac iuſtitia non metu neq; tyrannide populi Regibus concilientur. Nemo etiā neſcit Principem Egmondanum, alióſq; infinitos regij nominis atq; imperij ſtudioſiſſimos, quiq; eam prouinciam ſuo ſanguine ac ſudore Regi conſeruarant, quos etiā ipſe Rex hoc nomine maximi ſemper fecerat, ab his eſſe per odium ex veteri inuidia & æmulatione, rei in bello præclarè geſtæ natum, è medio ſublatos. At fortaſſe volunt hac ratione, Euangelicam religionem, quam ſibi tantopere inuiſam ſimulant (cum eorum plærique nulla religione ſint) radicitus extirpare? Ne id quidem profecto: Alioqui quid erat cauſæ cur ipſum illum Egmondanum principem, cur comitem Hornanum, cur infinitos alios qui huiuſce religionis ignari, ac verò etiam aduerſarij ſemper fuerant,

per

per infamiam ac ſummam indignitatem vita crudeliſſimè ſpoliarent? cur pontificium quę que tam graui tyrannide etiam nunc opprimunt? Sed nihil eſt eiuſmodi, Illuſtriſſimi Principes. Hoc vnum agunt vt quemadmodum in Sicilia atque in regno Neapolitano, ita & in Belgio contra omne ius ac fas ſibi dominatum pro libidine conſtituant, vt opimis ſpolijs opulentiſſimæ prouinciæ onuſti, domum reuertant, alióſque pro ſe mittãt, qui quod reliquum ſit ſucci & ſanguinis, exhauriant. Ad eam rem vna eſt ſanctæ eorum Inquiſitionis via, quæ ſanè optimo iure Inquiſitionis nomen ſortita eſt: hac enim in arculas, in ſcrinia, in loculos locupletum, hac in formam & ſinus virginum ac matronarũ, hac in iugulos, in viſcera, in ſanguinem virorum, hac denique in animas & conſcientias omnium ſagaciſſimo odore inquirunt atque inueſtigant: hac rerum omnium dominos & monarchas ſe fore ſtatuunt: ipſos Principes omnes ac Regem ipſi ſuum ſibi ſubijciũt. Eam rationem tenuerunt primum quidem in Hiſpania, in qua non modo priuilegia omnia ac iura libertatis, quibus antea ſummis Hiſpania vſa eſt, hac Inquiſitionis arte labefactarunt, ſed omnem legum autoritatem, magiſtratuum potentiam, atque ipſam Regij ſceptri Maieſtatem ſibi ſubiunxerunt: Regi quidem inane nomen vna cum cenſus parte reliquerunt, imperium ſummum ipſi ſibi vendicant: & in cauſis capitalibus pro ſuo arbitrio

de

de reorum vita ac morte ſtatuunt: quem illi perdere inſtituerunt, nemo eſt, ne Rex quidem ipſe, qui ſi maxime velit, ſeruare poſſit, quem autem ſibi tutandum ſuſceperunt, eum neque legum ſeueritas nec iudiciorum integritas, nec Regis voluntas poteſt vel minimo digito violare. Ita vt non iniuria omnibus ordinibus ac Regibus ipſis ſint formidabiles. Mox deinde eandem viam ſecuti ſunt in regno Neapolitano, in Siculo, in ditione Mediolanenſi, in vaſto nouæ Indiæ orbe. Eámque ipſam rationem olim quidem in Germania ſibi ſubiuganda apertè ſed fruſtra per ſequuti ſunt. Obfuit enim eorum conatibus veſtra, Principes, veſtrorúmque maiorum prudentia, virtus ac fortitudo. Nunc autem per cuniculos idem tentare profectò minimè deſinunt. Vt enim prætereamus, quod Groninganos, quod Phryſios occiduos, quod Tranſiſelanos, Geldros, Cameracenſes aliósq; infinitos, qui ſemper antehac ſacri Romani Imperij iuriſdictioni paruerũt, Imperij legibus & conſtitutionibus vſi ſunt, ad Imperij cameram prouocarunt, & ſe hac conditione in clientelam Ducis Brabantiæ diſertè tradiderunt, vt ſuas leges, mores ac inſtituta ſarta tecta retinerent: Albanus non modo iure libertatis, atque omnibus priuilegijs priuauerit, & quaſi bello victis nouas leges dederit, magiſtratus pro ſuo arbitratu contra eorum morem & conſtitutionẽ creauerit, præſidia impoſuerit, inuſitata vectigalia.

ctigalia imperauerit, arces in ciuitatibus conſtruxerit, optimos quóſque ciues eiecerit, eorum bona proſcripſerit: vt hæc, inquam, atque alia eiuſmodi infinita prætereamus, in quibus, etſi nullum ſuum ius, at certè iuris aliquem prætextum habere ſe ſimulat: quorſum tandem ſpectare poteſt, id quod Imperij ſui fines, etiam in ipſa ſacri Imperij viſcera, nulla ne tenui quidem iuris vmbra, palam ſtudet propagare? Quod Cliuenſis ditionis adminiſtrationem ad ſe rapere conatur? Quod eis minaciter imperat, vt omnes Belgas ſuis finibus eijciant? Quod ipſis Colonienſibus alijſque ciuitatibus liberis atque Imperialibus, quaſi ex formula præſcribit, quid Germanis inferioribus fieri velit? Quam enim in Phryſia Oriętali atq; agro Emdano crudelitatem perpetrarit, quas agrorum depopulationes, pecorum abactiones, matronarum ac virginum conſtuprationes, incolarum iugulationes commiſerit, non poteſt vobis, Principes Illuſtriſſimi, eſſe obſcurum. Quid, quod non dubitat iam nuper facto edicto Germaniæ inferioris ſtudioſos omnes, qui in exteras Academias, quæcunq; tandé illæ ſint, vna Roma excepta, profecti ſunt: adoleſcętes etiã omnes qui opificij alicuius aut mechanicæ artis addiſcendæ cauſa aliò ſe contulerunt, propoſita perpetui exilij pœna, atq; omniũ bonorũ proſcriptione, retrahere? Ita vt miſeros adoleſcentes linguarũ ac prudentię cõparãdę cauſa peregrè profectos

omni

omni ſtudiorum ac laborum fructu priuet, & ad Reipub. munia poſthac capeſſenda inutiles reddat, multóſque qui manu ac opificio victum ſibi peregrè comparant, ad inopiam & rerum omnium egeſtatem redigat. In quo certè vel humanitati ipſi bellum apertè indicit. Nam ſi omnis humanitas hominum ſocietate, ac mutuis commercijs continetur, annon oportet eum humanitatis omnis hoſtem eſſe, qui quod vnum hominibus datũ eſt, quo à brutis pecudibus diſtinguantur, id per vim conetur eripere? Nam linguæ quidé ac rationis vſus, tametſi eſt hominibus peculiaris, non multum tamen certè niſi in cõiunctione, ac ſocietate, quæ etiam cum exteris nationibus initur, fructum habet. Eum cum hic conetur eripere, quid reliquum eſt, quàm vt ipſum linguæ ac rationis vſum ſimul eripiat? Quod certè, quæ eius eſt inhumanitas, ſi quo modo poſſet, omninò facturum putamus. Quid enim aliud ſua illa Inquiſitione agit? Cur ſacrarum literarum vſu plebi interdicit? Cur diuinæ voluntatis fœderiſque cognitionem, ad ſolos Theologos, id eſt ad Inquiſitores & Epiſcopos amandat? Cur preces ad Deum lingua intellecta fieri vetat? niſi quod pecudibus non hominibus imperare cupit. Metuit enim vt ſi quicquam intelligant, tantam & tam inuſitatam barbariem aliquando ſint deteſtaturi, ac propterea alias nationes adiri, aliáſque ciuitates præter eas quibus ipſe leges præſcribit, non vult. Eſt enim

enim ſapientiſſimo omnium maiorum noſtrorum iudicio atq; vſu comparatum, vt adoleſcentes literarum liberaliúmq; artium, ac humanitatis ſtudioſi, in exteras Academias, multorum hominum mores atque vrbes viſendi, ac linguas exteras intelligendi cauſa proficiſci ſoleant, eóque conſtitutæ ſunt Regum ac Principum liberalitate liberę Academiæ, eiſq; magna libertatis iura ac priuilegia conceſſa, vt ſcilicet exteri adoleſcentes eò frequentius commearent, atq; hac ratione hominum inter homines fidei, ac ſocietatis neceſſitudo retineretur. Quæ certè conſuetudo minimè recens eſt, ſed innumeris retrò ſæculis vſitata. Accepimus enim olim Platonem cæteróſque Philoſophos longis ac varijs peregrinationibus ſuam ſapientiam, quam omnes hodie docti admirantur hauſiſſe, & ab exteris populis ac nationibus in Græciam inuexiſſe. Romani olim ſuos liberos in Græciam atque Aſiam ſtudiorum gratia ablegabant, & vt ne in vetuſtis illis hęreamus, non ita pridem antequam Turcæ immanitas Græciam occupaſſet, ſolebant Germani, Galli, Itali ac Hiſpani ipſi Athenas certatim ſtudiorum cauſa commeare. Quam libertatē, & conſuetudinem qui tollit, is profectò humanitatem ipſam tollit, & ſe cæterorum omnium nationum hoſtem eſſe capitalem profitetur. Quibus enim bellū per fœciales denuntiatur, ad eos ne quis ciuium habitandi cauſa proficiſcatur, caueri ſolet.

Quod quidem certè propterea fit, quòd quorum animus ac fides nobis ſuſpecta eſt, apud eos, ciues noſtros atque adoleſcentes diuerſari putamus eſſe nefas. Quum igitur ſuos ciues atque ingenuos adoleſcentes, apud vos Illuſtriſſimi Principes, & verò apud omnes exteras nationes, vna Roma excepta, educari vetet, quid poteſt ex eo colligi, niſi veſtram fidem, veſtrúmque animum illi ſuſpectum eſſe, ac propterea hoſtiliter velle ſe vobiſcum agere? Tollantur igitur negotiatorũ commercia, mercium commutationes, tollantur omnes Academiæ: omnia vniuerſitatum priuilegia abrogentur, hoſpitalitatis iura euertantur, & ſuæ quiſque domi otioſus deſideat: nemo aliquid peregrinum inuehat, ne fortè ſimul quid inuehatur, quod barbaræ Albani tyrannidi aliquando poſſit officere. Sed arbitramur vos videre, Principes, ad quos potiſſimum hæc iniuria pertineat. Non vult Hiſpanus veſtras Academias, veſtra emporia, veſtráſque prouincias à noſtris adoleſcentibus obiri, ne fortè labem aliquam hæreſeos contrahant. Quo certe iudicio non obſcurè vos omnes veſtróſque populos hæreſeos atque impietatis damnat. Tametſi alius præterea illi propoſitus eſt ſcopus. Eſt etenim hæc noua ratio expilandi fortunas miſerorũ hominum. Quos enim videt Inquiſitionis ſuæ faucibus ereptos eſſe, neq; facilè crimen in abſentes confingi poſſe, cum tamen grauiſſimo crimine ac Syllana proſcriptione

ptio
miru
mini
traha
texit
lo, a
alios
uoca
ipſan
bono
guin
cont
na, q
nis p
ſumn
lis In
rium
quoc
culti
gare.
bitra
vos,
em̃,
med
eis G
bãt ſ
huc
rũ ſa
omn
mor
fœd
in or

ptione digniſſimo nõnulli teneantur, hoc nimirum, quod ſunt opulenti, aliquid ſibi comminiſcendum putat, quo eos in ſuam naſſam trahat. Itaq; illud ipſum religionis velum prætexit, hoc.n. vno quaſi quodam Gygis annulo, ad omnes ſuas cupiditates abutitur. Hoc alios patria eijcit, alios in patriã inuitos reuocat: alijs omnẽ libertatẽ fortunas ac vitã ipſam eripit: alijs omnẽ licentiam, alienorũ bonorum direptionem atq; innocentiũ ſanguinem per ſummum nefas largitur: breuiter contra omnia iura diuina pariter atq; humana, quicquid eſt adlubitum, hoc vno religionis prætextu perpetrat. Hoc deniq; vno per ſummam atq; inauditam tyrannidem, ſuis illis Inquiſitionis Hiſpanicæ præſulibus imperium in Germania inferiori conatur ſtabilire, quod inde poſtea in vniuerſam Europam occultis technis ac machinationib. poſſit propagare. Ea vos, Principes Illuſtriſſimi, nolite arbitrari ad vos nihil ptinere. Pertinent eñ ad vos, veſtrámq; Germaniã vt maximè. Hæret eñ, hæret adhuc in Hiſpanorũ viſceribus ac medullis dolor ille, quẽ pridem acceperũt, cũ eis Germanię imperiũ, quod ſe iam ſibi putabãt ſubieciſſe, ex faucib. eriperetur. Agitãt ad huc vetera illa ſua cõſilia, quib. orbem terrarũ ſanctæ ſuæ Inquiſitioni ſubiungãt, ac rerũ omniũ ſummã ad ſe deuoluãt. Nondũ intermortuę ſunt illę veteres artes. Nondũ abolita fœdera, ſocietates & cõſpirationes, quib. ſe in omniũ eorũ pernicié, quos putãt ſuæ tyrã-

Cauſam Belgij etiã ad Germaniam pertinere.

nidis ppagationi obstare posse, deuinxerunt. Cui n. ignotę sunt pacis inter Galliæ & Hispaniæ Reges, factæ conditiones? Cui ignota est Baionensis confœderatio? Quis non videt quæ inde faces in Galliam, in Germaniam inferiorem, in Italiam, in Angliam, in Scotiam, in ipsam denique vltimam terrarũ Thulen manarint? Certè diuturnum illud ac funestum in Gallia bellum intestinum his autoribus contra totius regni ordinum edicta, cõtra Regis ac Reginæ voluntatem initio susceptum est: Iisdémque autoribus, paulò post fracta pace, violatis fœderibus, proculcata iurisiurando ac pactorum fide, iterum ac tertiò redintegratum est. Ac demum ijsdem authoribus cum summo florentissimæ prouinciæ detrimento atque incredibili summorum virorum ac Principum clade, iam prope in decimum annum perductum est. Neque adhuc hoc ipso tempore desinunt pestilentissimis suis consilijs ac teterrimis machinationibus, omni ope adniti vt pacem iam tandem cum summa Regis & bonorum omnium voluntate semel constitutam, pessundent atq; irritam faciant. Quas verò in Italia persecutiones, in Anglia conspirationes, seditionésq; in Scotia tumultus & clades, in Hybernia deniq; rebelliones excitarint, notius est quàm vt à nobis commemorari debeat. Quid? quod non dubitarunt in ipsa Anglia sereniſſimam Angliæ Reginam proposita Pontificis bulla, flagitiorum seruam, infestissimorum a-

sylum,

ſylum, hæreticam atque hæreticorum fautricem declarare, anathemate pontificio ferire, regni ac iuriſdictionis iure priuare, ſubditos populos iuriſiurandi præſtiti ſacramento ab ſoluere, ac generatim ne quis eius imperio pareat interdicere. Quo certè iudicio, quid cæteris Euangelicam religionem profitentibus Regibus ac Principibus expectandum ab eis ſit, apertè ac palam declararūt. Quid? quod ne Europæ quidem regionibus hæc ſe flamma cotinuit, ſed vltra Herculis columnas perrupit. Ipſa Africæ littora mortuorum cadaueribus oppleuit. Mauros ad arma concitauit, ac Turcam excitauit: Deniquè totam prope terrarum orbis machinam horribili tēpeſtate concuſſit. Et iam etiam vos ipſos: Illuſtriſſimi Principes, in veſtra viſcera niſi caueritis armare conatur. Quanquam non dubitamus, quin ea prudentia ac fortitudine Dominus ſit veſtras CC. inſtructurus, vt ab eiuſmodi perniciosis machinationibus tuti atq; incolumes conſiſtatis.

Supplex precatio ad Cęſarē & principes Germaniæ.

Nos verò, inuicte Cæſar, Principéſq; Germaniæ Illuſtriſſimi, omnium hominum miſerrimos, patria profugos, bonis omnib. exutos, ſumma ignominia ac paupertate per tyrannidem affectos, nolite negligere. Cogitate partem Germaniç, eſſe Belgium, nonnullam eius partem intra Rheni oſtia contineri, nōnullam legibus & conſtitutionibus Imperij, antiquiſſimo iure ſubiacere. Brabantiam Imperij antiquiſſimum feudum ſemper fuiſ-

se, eiúsq; Duces omnibus retro sæculis, nomine fidei & clientelæ Imperatoribus autoramentum inijsse. Antuerpiam etiam Imperij Marchionatum censeri. Gueldriam, Phrysiam, agrũ Groningensem, Transiselanũ, Cameracensem, iurisdictione Imperij cõtineri. Hollandiam, Zelandiam, Hannoniam cæteráſq; Belgij ditiones Boiariæ Ducibus quasi auita bona, hæreditate quondam cessisse. Nolite aspernari quæ inter nos est nominis, linguæ, cõmerciorum necessitudinem: & vt omittamus vetera, cogitate Carolum quintũ potentissimum tuum, Inuicte Cæsar, patruum, nuper ex Flandriæ meditullio ad Imperij gubernacula, tanquam Germanum natione, euectũ fuisse. Maximilianum tuum etiam proauum, Illustrissimæ atque antiquissimæ familiæ Austriacæ, omnem Belgij ditionem coniugij necessitudine adiunxisse, ac denique ipsum Carolum Imperatorem non ita pridem vniuersam illam ditionem inter sacri Imperij ordines ac limites Augustæ publicis comitijs, Germaniæ Principibus assentientibus, retulisse, vt essent in Imperij tutela, contra omnem vim atq; iniuriã: eósq; nomine ad omnia Imperij comitia, legatos ex prouincia Belgica missos fuisse, tributúmque ad Turcæ vim repellendam imperatum repræsentasse, ac etiamnum hodie litem inter Brabantiæ Ducem, ac Episcopum Magdeburgensem, vter eorũ in comitijs digniori loco sedere debeat, in iudicio esse. Ita vt indubiè inferioris

Anno. 1548.

rioris Germaniæ prouinciæ ab imperio alienę exiſtimari nō poſſint. Nolite igitur, inuictiſſime Imperator, Principéſq; Illuſtriſſimi, ſocios veſtros, q̄ veſtram fidem miſericordiāq; ſupplices aduerſus inauditam hominū ſuperbiſſimorum tyrannidé implorant, conténere. Nos quidem certè nequaquā recuſamus Regis noſtri imperio ſubiacere, dicto audientes eſſe, imperata tributa, onera ac vectigalia omnia perſoluere, omnē deniq; fidē atq; obedientiā præſtare. Sed vt cōſcientia, vt religio nobis integra maneat, vt ne corā Deo Optimo Maximo, in extremo illo iudicio Chriſti Ieſu violatæ fidei, perfidæq; conſcientię arceſſamur, vt animarum ſalutem bona cum Regis pace tueri poſſimus, ſupplices deprecamur: vt ab Inquiſitorum ſuperbia, nouorum Epiſcoporum auaritia, exterorū prædonum rapinis, fœdiſſimorum Inquiſitionis adminiſtrorum, & cacularum libidine nos, noſtras coniuges, liberos, fortunas, ac in primis conſcientiam tueri poſſimus, per Deū immortalē, pérq; Ieſum Chriſtum, omniū noſtrū Dominū ac fratrē, cuius nomē communi religione pfitemur, veſtram Maieſt. ac Celſitudines rogamus obteſtamúrq;. Et ſi vos nulla nominis Germanici neceſſitudo mouet, moueat illa, quæ vobis in Chriſto Ieſu, cuius mēbra nos eſſe gloriamur, nobiſcū eſt arctiſſima coniunctio: moueat humani nominis neceſſitas, humanæ ſortis anceps atque incerta conditio: moueant tot mœſti ac decrepiti ſenes, tot

miseræ viduæ, infortunati pupilli, lachrymantes virgines, tanta miserorum hominum turba, qui omnes suis sedibus pulsi, fortunis eiecti, patrijs commodis priuati, dignitatibus spoliati, à complexibus optimorum parentum, suauissimarum coniugum, dulcissimorũ liberorum, per tyrannidem auulsi, in extero solo, palantes atque incerti vagas sedes, tenuem victum, ac libertatem conscientiæ quærunt. Quod si nulla vobis offertur ratio nos nostro loco restituendi, at saltem nolite aduersariorum nostrorum, vel falsis criminationibus aurem, vel inexhaustæ crudelitati locũ dare. Haud desinent illi quidem, sat scimus, vrgere, vt etiam illa misericordia, ac liberalitas, qua nos hactenus in vestris ditionibus complexi estis, nobis eripiatur, vt nec aër viuis, nec terra mortuis, nec vllum perfugium exulibus relinquatur. Verũ obtestamur vos, Illustrissimi Principes, vt maioris apud vos fiat Dei mandatum, quo iubet exules, ac peregrinos, non solum mœnibus ac portis, sed etiam tecto recipi, atque omni beneuolentia foueri, quàm Hispanorum aliquot sacrificorum, qui nos eijci per Albanum contendunt, imperium. Neque committite vt Hispanici nominis terror apud vos, quàm Germanici necessitudo & dignitas, plus momenti habuisse videatur. Nam quid de religionis cõiunctione dicemus? quæ vna certe mouere vos debet, vt ne qui in vnum Christi corpus, vna fidei,

fidei professione vnóque baptismo coaluimus, pro nonnullorum hominum libidine, quib. certè nisi sua auaritia, nulla est religio, tanquam extranei ac hostes eijciamur: ne forte quod in nos, qui membra CHRISTI nos esse Dei gratuito ac singulari beneficio profitemur, crudelius committitur, id in extremo iudicij die CHRISTVS Regũ omnium Rex, ac Dominorum Dominus, sibi vni acceptum ferat. Nam quod Religionis discrepantiam nonnulli prætexunt, non est, Illustrissimi Principes, quod vos moueat. Nos certè qui vnum Deum ac Patrem IESV CHRISTI, qui vnũ seruatorem CHRISTVM IESVM verum Deum verúmq; hominem pro nobis crucifixum, qui vnum Spiritum sanctum vobiscum profitemur: in vna Christi satisfactione acquiescimus: eiúsque nomine, patria, boníque omnibus priuamur, & quasi oues ad occisionem destinamur: vnam sanctam Ecclesiam agnoscimus: vnum verbum Dei pro salutis nostræ fundamento recipimus: vnam denique à mortuis resurrectionem vitámque æternam ex gratuita Dei misericordia, ac liberalitate vobiscum expectamus: Nolite existimare diuersam a vobis religionem profiteri. Quod si in nonnullorum verborum explicatione, quædam fortasse est discrepantia, cogitate ne Apostolos quidem ipsos, eorúmue discipulos, per omnia ita ad amussim conuenisse, vt non es-

set aliqua parte dissensio . Cogitate in veteri Patrum Ecclesia, multa summorum hominum, ac præstantissimorum doctorum non modo errata, sed apertas inter se repugnantias extitisse. Quod certè Domini prouidentia certissima ac sapientissima ita comparatum fuit, vt imbecillitate ingenij nostri agnita, in vno Dei verbo discamus acquiescere, neque vel hominum authoritatem, vel nostra iudicia verbi Dei authoritati anteponere : sed alteri alterorum onera portare, atque errata & infirmitates Christiana charitate tegere, ac prudentia tolerare . Quanquam quæ potest esse dissensio inter eos, qui non modò verbum Dei vnicum amplectuntur, sed etiam ex verbo Dei constitutæ fidei formulæ per omnia subscribunt? Nos enim certè vel libentissimis animis confessionem Augustæ à vestris maioribus Carolo Imperatori oblatam recipimus atque amplectimur. Et si quicquam iudicare possumus, etiam eorum Theologorum, quorum opera, illa formula conscripta traditáque est, doctrinæ per omnia assentimur. Nostri habent illos non modò pro fratribus, sed pro summis atque excellentibus Dei Prophetis. Illi vicissim nostros summa atque incredibili charitate, atque omnium fraternorum officiorum necessitudine complexi sunt . Est igitur, Principes, calumnia ab aduersarijs ementita, cum aiunt nos diuersam

uersam à Germanis religionem profiteri. Nihil enim ſtudent aliud, niſi vt excitata inter nos diſſenſione, membra Chriſti dilacerent, atque ita quos non poſſunt coniunctos euertere, eos ſingulos ac diuulſos facilius opprimant.

Vos autem, viri Principes, quibus eiuſmodi artes pridem cognitæ ſunt, nolite permoueri, neque committite vt aduerſariorum calumniæ plus ad diſiunctionem corporis Chriſti, quàm ipſius CHRISI IESV præceptum ac verbum, quàm noſtra apertiſſima confeſſio, quàm veſtrum etiam integerrimum in alijs multis, & Principibus & Theologis iudicium ad coniunctionem, copulationémque eiuſdem corporis, valuiſſe videatur: néue plus momenti habuiſſe vnius vocis paulò diuerſior interpretatio, quàm totius reliquæ Scripturæ, fidei, religionis certa atque indubitata conſenſio. Per quam ſimul, ac per ipſius IESV CHRISTI corpus ſacratiſſimum, in quod indiuidua connexione nos ſibi coniunxit, iterum ſupplices vos obſecramus, atque obteſtamur, vt veſtra clementia ac miſericordia, quæ omnibus miſeris, atque innocentibus aperta ſemper fuit, nos etiam qui propter CHRISTI IESV nomen non modò grauiſſima quæque patimur, ſed etiam calumnijs iniuſtiſſimis obruimur, benignè complectamini, & tantiſper quo-

ad

ad Domino visum est nos omnibus bonis & commodis patrijs spoliatos in exilio castigare, vos certè quos Domini manus premit, vestra benignitate subleuetis. Ita & ipsi Deo omnium iustissimo Iudici gratum facietis, & nos ad eius misericordiam, pro vobis vestrísque populis sedulò inuocandam excitabitis.

FINIS.